

percipit. Ad 2. Parochus, ut dominus solvit decimas sibi ipsi ut Parochus, sicut tutor sibi ipsi solvere potest secundum jus Pandectarum l. 19. ff. de administr. tutor. & ideo decimæ ex tali fundo numerandæ sunt inter bona Ecclesiastica, & non patrimonialia. Ad 3. neg. ant. quia fundi transeunt cum suo onere, nisi auctoritate legitima ab onere isto liberentur: quod plerumque fit, maxime in divisione Parochiarum.

9. Q. V. Quibus modis detur liberatio a decimis solvendis? R. Quatuor modis: privilegio Apostolico, consuetudine, prescriptione, & transactione; dummodo ministris Ecclesiæ congrua sustentatio aliunde competat: que cum jure naturali sit debita, citra injuriam nullo privilegio, aut facto hominis tolli potest.

10. R. 2. Regulares omnes exempti sunt a solvendis decimis personalibus; item a prædialibus illis, que dari debentur ex fructibus hortorum suorum, & nutritivis animalium, & de novalibus stricte talibus, que sunt ex terra proventus inculta, quam suis manibus, seu sumptibus excolunt. Ita constat ex privilegio corpori juris inserto, c. 3. 10. h. 2. 2. Regulares quicumque, nisi quoad hoc specialiter privilegiati sint, tenentur solvere decimas ex fundis decimabilibus, qui ad eos cum tali onere translati sunt, c. pen. h. 2. Si autem terre antea non erant decimales, ex his in se translatis Regulares non tenentur decimas solvere, ut clare colligitur ex c. 1. pen. h. 2. ejus dispositionem, uti & sententiam Fagnani, Pirhing, & aliorum restringit Reiff. n. 65. ad Cistercienses, & Hospitalarios: sed non videtur advertisse ad generalem textum c. fin. §. pen. h. 1. in 6. ubi hæc habentur: Ceterum eadem Religiosi tam exempti, quam non exempti, de terris, & possessionibus acquisitis hæcenus, & modo acquirendis decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones, & terre prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint exempti. Ubi vides, quod Regulares ex solis fundis, qui antea erant decimales, decimas solvere tenentur; non vero ex fundis, qui antea non erant decimales. Potro privilegium non solvendi decimas, cum sit exorbitans a jure comm. ultra propriam significationem extendi non debet nec ad illum casum, quo Ecclesia enormiter læderetur c. 9. h. 1. Amittitur autem prescriptione extinctiva, seu usu contrario, dum privilegiati per 40. annos decimas solvunt, cap. 15. de privileg. quo corrigitur jus antiquius admittens contra Ecclesias prescriptionem teneantur cap. 6. eod. cap. 3. de prescrip. nisi velis cit. cap. 6. loqui non de prescriptione, sed tacita renuntiatione. Specialia privilegia extra corpus juris vagantia quæque Religio inspicit: quia teste Barbof. de off. & potest. Episc. p. 3. cap. 28. §. 30. hodie fere omnes Regulares exempti sunt a solvendis decimis prædialibus ex fundis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt. Vide Portel. v. decime, & Rodrig. Donat. &c.

11. R. 3. Consuetudine non solum particulares persone, sed integre etiam communitates liberari possunt a solvendis decimis: dummodo ministris Ecclesiæ aliunde provifum sit de competenti sustentatione: ita comm. licet speculative oppositum teneat Reiff. a. 86. nam talis consuetudo nullibi reprobatur a jure: imo in materia decimarum maxime spectandam esse consuetudinem expresse asserunt Sac. Canones c. 18. 20. 32. h. 1. Idem dic de prescriptione; cum hoc discrimine, quod ad prescriptionem requiratur titulus cum bona fide; tempus vero 40. annorum contra Ecclesiam videtur etiam ad consuetudinem requiri; cum ista consuetudo sit præjudicialis ministris Ecclesiæ, & renuntiatio tacita non facile præsumi possit. Dices: laicus per prescriptionem acquirere nequit jus activum decimandi cap. 7. de prescrip. R. Neg. con. nam jus decimandi est spirituale connexive, quod sicut laicus nequit possidere, ita nec prescribere; & contra libertas, seu immunitas a solvendis decimis est quid temporale, seu deobligatio pretio æstimabilis; cujus possidendæ, & prescribendæ laicus capax est. Et quidem, si prescriptio currat contra Ecclesiam Parochialem, requiruntur 40. anni cum titulo, vel tempus immemorabile sine titulo c. 1. de prescrip. in 6. contra Ecclesiam aliam 40. anni, & contra privatum Clericum 20. anni inter presentes, & 20. inter absentes, ut dicitur tit. de prescrip.

12. R. 4. Transactione extingui possunt decime præteritæ: sic enim transire non prohibetur partibus, at super decimis futuris ultra triennium sine auctoritate Episcopi, & in perpetuum sine consensu Papæ transigi nequit, c. 8. de transact. extrav. Ambitiosa de reb. Eccl. nam talis transactio vim habet alienationis. Pecunia vero jus decimandi remitti non potest: ita simoniam; quia daretur temporale pro spirituali, c. fin. de rer. permu.

13. Q. VI. Quibus modis acquiri possit jus altiorum decimandi? R. loqq. 1. Collatione, seu unione beneficii Parochialis, cui per se annexum est jus decimandi. Quale jus acquirat etiam Episcopus in loco nullius Parochie; vel si Parochia unita sit Episcopatu, vel mensæ capitulari, vel beneficio cujuscumque Clerici; tunc enim obtinens officium, hoc ipso etiam obtinet jus decimandi tali beneficio annexum. 2. Permutatione: & quidem si Ecclesiæ tenentur jure propteris, admittitur compensatio pecuniaria pro effectu secundum dicta tit. de rer. permu. ipsum autem jus decimandi, utpote spirituale, citra simoniam permutari, & vendi non potest c. 15. 17. h. 1. nisi auctoritate Apostolica separetur a titulo spirituali: quo casu, cum fiat pure temporale, licite vendi, aut proaliquo temporali permutari potest. 3. Infeudatione, qua Papa ex generali administratione etiam laicis decimas infeudare potest, separando illas a titulo spirituali. Hæc vero potestas de novo infeudandi decimas sublatæ est Episcopis, & aliis Prælati, c. 15. 17. & 19. h. 1. & lib. 1. Feud. tit. 6. ne scilicet Ecclesiæ per nimiam spoliatorum prodigalitate graventur, & suis juribus spolientur. Si autem decime ab antiquo sunt infeudatæ, in casu aperturæ ab Episcopo reinfundari possunt; nisi jam incorporate essent mensæ Episcopali. 4. Donatione cum solitis solemnitatibus facta. Quodsi laicus jure suo titulo decimas possidet, eas utpote temporales, non solum cuicumque monasterio, vel Clerico, sed etiam laico donare, vel alio modo transferre potest; cumni sue dominus sit. At si decimas injuste detinet, eas proprie Ecclesiæ restituere tenetur, c. 19. h. 1. si ad hoc induci nequeat, de consensu Episcopi permittitur eas transferre ad quemcumque Clericum, præsertim ad conventum Religiosorum; & donatio firma erit, c. 7. de his, que a Prælato; que decisio est in jure specialis. 5. Transactione, modo fiat cum cognitione causæ, & de consensu Papæ, vel Episcopi. 6. Privilegio Apostolico, quo multi Episcopi, & Regulares acquirunt jus decimandi. 7. Prescriptione legitima: & quidem ad prescribendum jus decimandi in aliena Parochia requiruntur 40. anni cum titulo, & tempus immemorabile sine titulo, quicumque prescribat, five Papa, five Episcopus, five Religiosi, five Clerici, etiam Parochi alterius Parochiæ, cap. 1. de prescrip. in 6. nam Parochus quoad decimas in sua Parochia fitas jus positive assiluit: ceteris vero omnibus resistit: Quando autem jus decimandi præscribitur contra alium, & non contra proprium Parochum, requiruntur consueta tempora; scilicet centum anni contra Romanam Ecclesiam, 40. anni contra interiores Ecclesias, & 10. vel 20. anni contra privatum. Laicus vero, sicut incapax est possidendi jus spirituale decimandi, ita nullo unquam tempore illud prescribere potest; nisi habitatio sit privilegio Apostolico: quia sine possessione non currit prescriptio reg. 3. in 6. secus dicendum de decimis laicalibus. Quia vero ex tempore vevullissimo præsumitur, quod laici jure suo titulo, v. g. ex privilegio Apostolico, vel ex donatione, aut infeudatione ab Episcopo facta, (hoc enim ante Concil. Lateranense, & decretum Urbani II. eis licuit) decimas obtinuerint: ideo eas pacifice possidentes, adhuc hodie licite retinere possunt: licet titulum probare non valeant; neque exter fama talis tituli, & privilegii: ita Covar. Joann. Andr. Layman. Reiff. & alii communiter: nam quibus auctoritatem veteris dedit, licet jus non probent, tamen sunt l. fin. ff. de aqua pluvi. arcend.

14. Q. VII. An prescriptio, vel privilegium percipiendi decimas extendat se ad decimas novalium? Nota ante resp. novalia alter accipi de jure civili, aliter de jure Can. novalia de jure civ. sunt terra prædicta, que anno cessavit, id est inculta jacuit l. 30. ff. de V. S. novalia stricte, & proprie talia de jure Can. sunt terra,

seu ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit; c. 21. de P. S. novalia vero largius accepta sunt terræ prius culta, que aliis fructibus deputatur; ut si ex pratis, vineis, aut pomariis fiant agri; vel si in agro frumentario plantentur vites, feratur cannabis, aut linum, vel inferatur lupulus &c.

15. R. 1. Prescriptio, aut privilegium non se extendit ad novalia stricte talia, c. 29. h. 1. c. 2. pr. §. statimus eod. in 6. nam decime novalium non erant antea possessæ, ut suppono; ergo nec prescribuntur, nisi ab initio novalium quasi possessio decimandi legitimo tempore, bona fide continuetur. Privilegium vero decimandi restringi debet: tum quia tempore dati privilegii necdum extiterint novalia: tum quia jus decimandi privilegio translatum, valde præjudiciosum est Parocho.

16. R. 2. Si novalia facta sint ex fundis non decimabilibus, jus exigendi decimas ex novalibus pertinet ad Parochum, five sint novalia stricte, five late talia, c. 25. 29. h. 1. c. 2. pr. h. 1. in 6. nam Parochus jus assiluit quoad omnes decimas sue Parochiæ, Excipit Regulares, qui ex novalibus stricte talibus, que suis manibus, & sumptibus colunt, nullas decimas pendunt, ut supra dictum n. 10. at si ex fundis decimabilibus sint novalia, decime ei debentur, qui antea eas percipiebat, five sit Parochus, five alius privilegiatus: nam fundus decimalis ei fructificat, qui habet jus decimandi, quisquis ille sit.

Dices: Privilegium non solvendi decimas extendit se etiam ad decimas novalium c. 12. h. 2. 22. de privileg. ergo etiam privilegium percipiendi decimas extendi debet ad decimas omnium novalium, utpote accessorias: que enim hic disparitas? imo c. 17. h. 1. id probare videtur. R. Conc. ant. & n. c. ratio disparitatis desumitur ex Jcto, l. 20. ff. de LL. non omnium, que a majoribus confirmata sunt, ratio reddi potest. Congruentia aequalis datur: quia privilegium percipiendi decimas magis est præjudiciosum Parocho, quam privilegium non solvendi decimas; ergo illud, & non istud merito a jure restrictum est. Nec cit. cap. 27. aliquid probat in contrarium: nam Abbas ibi fuit Parochus; ergo sicut alie, ita & decime novalium ei debebantur.

17. Q. VIII. Quid juris in executione solutionis decimarum? R. 1. Decime prædiales solvendæ sunt ex fructibus integris, nulla facta impenfarum deductione, cap. 7. 21. 26. 33. h. 1. Circa deveniendæ decimas in horreum Parochi, consuetudo servanda est, licet de jure comm. impenfarum Parochianorum deberi deberent. 2. Personales decime præstantur ex solo jure; adeoque deductis expensis, quas, v. g. opifex facit in calceos, pannos &c. cap. 18. hoc tit. & præstantur in fine anni: licet fere ubique abrogatæ sint. Fœtus animalium tunc præstanti veniunt, dum sine matre vivere possunt.

18. Q. IX. Quis sit iudex causarum decimarum? R. 1. Parochus, vel alius decimator non potest propria auctoritate sibi decimas accipere, sed expectare debet, donec sibi a debitore, vel hoc neglegente, a iudice assignentur: nam generaliter utroque jure prohibetur, ne creditor jus sibi dicat, vel quid ex bonis debitoris vi, aut clam rapiat, l. 13. ff. quod met. caus. 2. Pettitorium, seu actio confessoria, vel negatoria utilis, super causa decimarum spiritualium instrui debet coram iudice Ecclesiastico private, et regula generali, que causas Ecclesiasticas solis iudicibus Ecclesiasticis attribuit, c. 3. de iudic. Idem dic de possessione, cui admittitur questio juris, utpote spirituales. At possessionum super mero facto, cum temporale sit, est mixti fori; ut alias sepe dictum. Hinc Parochus laicum convenire potest coram iudice seculari, ut decimas decimas sibi solvat, a turbatione cesset, decimas non defraudet &c. 3. Lata sententia super solvendis decimis, non conceditur appellatio quoad effectum suspensivum, ut executio solutionis retardetur, cap. 26. in fin. h. 1. ibi: appellacione remota compellatur, nisi dux Ecclesiæ contenderent de decimis, vel Clericus reus ad potiora sua jura se revocaret, Barbof. Hoff. & alii.

19. Q. X. Que sint pœne defraudantium decimas? R. 1. Præter peccatum mortale, jubentur excommunicari. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

carum, nec absolvi citius, donec satisfaciant, nisi satisfactio esset impossibilis, cap. 5. 21. 26. h. 1. seff. 25. cap. 12. de refor. 2. Carere debent sepultura sacra, cap. 19. h. 1. cum decedant in peccato notorio. 3. Religiosi non solventes decimas, vel alios solvere prohibentes, si moniti intra bimestre non solvant, suspendendi sunt ab officiis, & administrationibus; si vero his careant, excommunicari debent, donec satisfaciant, Clem. 1. h. 1.

20. Q. XI. Quid juris circa primitias, & oblationes? R. 1. Primitie, que sunt primi fructus ex agris, & animalibus, in lege nova solo jure Ecclesiastico præceptæ sunt, & pro quadragesima, vel sexagesima parte determinatæ c. 1. h. 1. ad imitationem legis veteris, que præcipiebat dari Sacerdotibus primitias, & primogenita, Exod. 23. v. 13. n. 18. Hodie in plerisque locis primitie abrogatæ sunt: sicuti tamen vigent, observari debent. 2. Oblationes proprie tales sunt illa dona, que fideles, five per se, five per diaconum ad altare offerunt. De his nullum extat præceptum Ecclesiasticum, ut fiant, v. g. diebus dominicis, & festivijs solemnibus, nisi indigentia ministrorum, & consuetudo tale jus induxerit: nam oblationes istæ ex natura sua sunt spontaneæ: juxta illud; ab omni homine, qui ultroneus est, accipietis, Exod. 25. v. 2. Potro oblationes inter fines Parochiæ factæ, five in Ecclesiis, five ad imagines, de jure comm. pertinent ad Parochum arg. c. 9. de his, que a Prælato, c. 10. de prescrip. nisi aliud de mente offerentium confert, v. g. ut oblatio cedat ad certum usum Ecclesiæ, Sacerdoti celebranti; maxime neo-mythe, & generaliter, quidquid in Ecclesiis Regularium offertur, eis cedat arg. c. 1. de stat. Monach. cum hæc sit intentio offerentium, Abb. Fagn. Reiff. & alii: vide S. D. 2. 2. q. 86. ar. 1.

Connexio precedentium, & consequentium.

Hactenus de Clero seculari, ejusque juribus, & obligationibus: nunc a seg. tit. usque ad tit. 38. agendum erit de Clero regulari; licet quepiam inserantur etiam Clericis, & laicis communia.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extrav. Com. h. 1. in Decreto Can. 2. & seq. 1. q. 2. & 18. q. 1. 2. & 19. q. 1. 2. 3. & 20. q. 1. 2. 3. 5. & 27. q. 1. 2. In Trid. S. 15. de Regular. per. 108. & S. 6. c. 3. S. 14. c. 10. 11. & S. 7. c. 14. de refor. Nov. 5. & 123.

1. Nota 1. Religionem hic non accipi pro virtute morali, qua Deum colimus ob summam ejus excellentiam; nec pro communitate omnium fidelium: quo sensu dicitur Religio Christiana; sed pro certo statu in Ecclesia erecto, quo sensu Religio, seu ordo religiosus est status ab Ecclesia approbatus, in quo fideles per stabilem vivendi modum, editis votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, tendunt ad perfectionem divinæ charitatis: ita in re comm. ex qua definitio colliges omnia substantialia requisita status religiosi. Porro hic status originem habet ex jure divino, seu inspiratione Christi, qui in Evangelio posuit tria consilia Math. 9. & quidem castitatis v. 12. Sunt enim illi, qui se ipsos castraverunt propter regnum celorum; paupertatis, & obedientiæ v. 21. vade, & vende omnia, & sequere me: & Math. 16. qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. atque ita quoad substantiam hujusmodi status est juris divini, cujus primi profectores erant Apostoli Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. At quoad determinationem, & particularem vivendi modum est juris Ecclesiastici, cum pendeat ab approbatione Ecclesiæ, quam præstare olim poterant Episcopi; hodie solus Papa, saltem a temporibus Innocentii III. & consequentium Pontificum, ut continua praxis probat, & decretum Concil. Gener. Lugdunensis sub Gregorio X. cap. un. de religiof. domib. in 6. & c. un. de voto eod.

2. Nota 2. Ad substantiam status religiosi requiritur vota antedicta, c. 6. de stat. monach. non tamen

necessario solemnitas, sed saltem simplicia, quibus quia Deo, & Religioni se devoverit ex sine tendendi ad perfectionem charitatis: ita hodie certa sententia, quam deservit Gregor. XIII. Const. incip. *Ascendens Domino*, declarat scholasticos Societatis Jesu, & coadjutores non formatos, esse vere, & proprie religiosos; licet tantum tria simplicia vota emiserint. An vero professio per vota solemnitas intrinsece quoad speciem, vel quoad modum differat a professione per vota simplicia, an vero solum extrinsece per solemnitates ab Ecclesia inductas? Theologis discutendum relinquo, cum quibus in theologia licet pro differentia intrinseca. Vide *resol. Can. h. t. resol. 3.* ubi sententiam istam theoreticam probat. Pro praxi nota, quod vota simplicia Societatis Jesu hoc ipso resolvantur, cum quis ex ea dimittatur, Vasquez, & alii DD. Societ. Jesu.

3. Nota 3. Tria esse genera vite religiose; scilicet *contemplativa*, quae ex primario fine ordinatur ad contemplationem rerum coelestium, ut sunt Ordines monastici SS. Basilii, Benedicti, Brunonis &c. *Activa*, quae ex primario fine ordinatur ad exteriora opera charitatis erga proximum; ut in Ordinibus militaribus, hospitalariis, Redemptionis captivorum &c. *Mixta* ex utraque, quae contemplationem suam ordinat ad docendum, & praedicandum; qualem habent Ordines S. Augustini, Mendicantes, Societas Jesu, & Scholarum Piar. &c. Ex his *Mixta*, utpote Episcopis propria, de se est perfectior; tum sequitur *contemplativa*, & *activa*. Regula autem communiter quatuor numerantur: SS. Basilii, Augustini, Benedicti, & Francisci, quibus multae Religiones, additis suis statutis, utuntur; aliquae tamen nullam ex his regulis sequuntur, sed suas peculiarias Constitutiones a Sede Apostolica approbatas habent, ut Religio Carthusianorum, Minorum S. Francisci de Paula, Societatis Jesu, Scholarum Piarum, cujus Constitutiones approbavit Gregor. XV. Const. incip. *Sacri Apostolatus* 1621. die 18. Novembris. Praeterea Ordines alii sunt *Canonicales*, ut Canonici S. Augustini, & Praemonstratenses; alii *Clericales*, ut S. Cajetani, Clerici de Somascha, Societatis Jesu, Scholarum Piarum &c. alii *monastici*, ut SS. Benedicti, Basilii &c. alii *mendicantes*, ut SS. Dominici, Francisci, Carmelitarum, Augustiniani &c. de quorum praecedentia hic non disputo. Plura de his vide in Scripturis, praesertim regularibus, qui ex professo scribunt de statu religioso; & praeter cetera S. D. 2. 2. a. q. 179. usque ad finem. Resolvam magis praecipuas quaestiones ad praxim facientes.

S. I.

De Novitiis.

4. Q. I. *Qui possunt amplecti statum religiosum?* R. Regulariter omnes Christiani, qui specialiter non prohibentur; nam Religio cum sit de meliori bono, cuius est permilla. Prohibentur autem 1. Infantes, furiosi, amentes, c. 15. h. t. quia se obligare non possunt defectu iudicii. 2. Episcopi confirmati; nisi per Papam a vinculo suae Ecclesiae absolvantur, c. 18. h. t. cap. 2. de *translat. cap. 10. ante fin. de renun. 3.* Conjuges post consummatum matrimonium; nisi de mutuo consensu; vel nisi iustum, & perpetuum divorcium adesset; quo casu innocens ingredi potest Religionem, c. 3. & 12. de *convers. conjug. 4.* In praesidium tertii servus sine licentia domini liberi, quorum opera indigent parentes in extrema, vel gravi necessitate; & contra parentes, quorum educatione, & sustiduo indigent liberi; debitor antequam creditoribus satisfaciatur; nam Religio ita est permilla; ne tertio sit praesudicialis; sublato autem tali impedimento, liberum est Religionem ingredi. 5. Rationis publicis, aut privatis obnoxii, donec ea reddant, Const. Sixti V. incip. *Cum de omnibus*. Criminosi, quibus debetur gravis poena, ut trucidium, mutilationis, vel capitis, *ibid.* Cetera impedimenta recipiendorum ex cuiusvis Religionis statutis attendenda erunt.

5. Q. VII. *An novitatus, seu probatio, necessario praemitti debeat professioni religioso?* R. De iure novo affirmative, Trid. sess. 23. cap. 15. de *Regular.* Et quidem 1. probatio ista debet esse unius anni com-

pleti mathematicae de momento ad momentum, ut hodie communis docet; quia Trid. loc. cit. expresse dicit *qui minori tempore, quam per annum &c.* si autem etiam unum momentum desisset, iam esset tempus minus, quam unius anni. 2. Annus probationis debet esse continuus, & non interruptus: ita comm. DD. quia iura designantia annum probationi, cum non distinguant, intelligunt tempus continuum; cum & ista continuatio sit una ex majoribus difficultatibus. Porro ex recepta sententia tunc censetur annus probationis interruptus, dum novitius cum, vel sine veste exit ex novitiatu cum animo deliberato revertendi Religionem; nisi facti poenitentis statim revertatur. E contra, si Superior dimissionis causa novitium vestire vestibus secularibus, & ante actualem dimissionem mentem mutaret, non censetur tempus interruptum: quia dimissio non est facta cum effectu. Item, si quis explevit tempus probationis, & ante professionem egresus, vel egressus est, sine nova probatione admitti potest ad professionem, dummodo notabilis mutatio non sit interposita: ita sepius declaravit S. Congr. testefag. c. fin. n. 52. *qui Clerici, vel voa.* Similiter, quibus defectum aetatis invalide professus est, non obligatur repetere novitiatum; sed si in proposito manet, adveniente aetate legitima, profecti poterit. Secus, si probatio fere totius anni praecessisset, & ultima die interrupta fuisset, repeti debet ad effectum professionis. 3. Probatio facienda est in habitu religioso, Trid. loc. cit. *ibi: post susceptum habitum*; nam & iste numeratur inter majores Religionis difficultates a novitio superandas. Nec obstat *Can. un. d. 53. & Can. 23. d. 54.* nam Canonem istum loquentur, non de habitu seculari proprio, sed de habitu novitorum distincto ab habitu professorum; & si quid contrarium indicant, derogatum est eis per iura recentiora. 4. Probatio regulariter facienda est in domo religiosa, seu novitiatu, c. 1. h. t. in 6. *ibi: quodsi per totum sequentem annum in monasterio permanserit*; secus nec Religio novitium, nec novitius Religionem experiri potest. Si tamen novitius de licentia legitimi Superioris per aliquam anni partem abesset, id non officeret probationi; quia absens ex licentia fingitur esse praesens. Sic novitio non obstat, etsi suscepto habitu per portionem anni partem in lecto egger decumbat; cum per ipsum non stet, quo minus anteaeritas Religionis experiarur.

6. Haec ita de iure communi: nam de iure specialiter Societas Jesu, & Scholarum Piarum Religio habent biennium pro novitiatu: quia vero apud nos non ponitur in Constitutionibus clausula irritatoria; ideo valida foret professio, si expleto uno anno probationis, novitius, & Religio sponte in illam consentirent. Item Soc. Jesu id speciale habet, quod novitii eius in habitu seculari, & extra domum religiosam novitiatum peragere valeant. Ordines militares, cum in decreto Tridentino non comprehendantur, sua specialia statuta observant: Commendatarii vero, qui sunt capita Ordinum, intra semelstrat ad professionem talis Ordinis obligantur; secus commenda privantur, Trid. sess. 25. c. 21. de *Regular.*

7. Q. III. *Quid iuris circa dispositionem bonorum a novitiis faciendam?* R. 1. Observandum sub eodem iure Trid. sess. 25. c. 16. de *Regg.* ubi ita statuit: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque cause pte valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive eius Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiam cum huius favoris expressa renuntiatio, etiam iurata, sit irrita, & nullus effectus.* Ratio huius decreti fuit, ne, alienatis bonis, novitio impediatur libertas exeundi, & defectu sustentationis imponeretur invito necessitas proficendi. Et cum sola Societas Jesu in dicto decreto excipitur, sequitur alios omnes Religiosos sub illo comprehendendis licet illa solemnitas, ut renuntiatio ista fiat coram Episcopo, vel eius Vicario, seu de eorum licentia, in multis locis abrogata sit.

8. R. 2. In decreto Tridentino, non comprehenduntur testamenta, & aliae ultimae voluntates, quas novitius ante, vel in novitiatu quandoque fecit; cum ad placitum ejus revocari possint: neque contractus onerosi, quibus

quibus non plus datur, quam accipitur; nec modica elemosina; sed sola donationes, aut renuntiationes, quibus patrimonium novitii notabiliter minuitur. Quod ipsum die de renuntiatione beneficii: cum enim Trid. indistincte dicat: *nulla renuntiatio valeat*, sequitur nec valere renuntiationem beneficii, nisi forma Tridentini observetur, ut pluries decidit S. Rota, & declaravit S. Congregat. Concilii; licet forsitan S. Pius de hoc dubitaverit. Nec officit, quod renuntiatio beneficii debeat esse absoluta: nam non obest ei conditio; quae de iure inest, sicut ista Tridentini: *nisi secuta professione*.

9. R. 3. Renuntiatio bonorum legitime facta subsistit, nec revocari pro placito potest a novitio; alias frustra ista solemnitas adhiberetur: perfecte autem confirmatur, secuta professione valida, vel invalida quidem, sed deinde legitime ratificata: nam hoc modo conditio Tridentini purificatur; nisi professio fuisset invalida defectu aetatis; quia tunc renuntiatio fieret ante, non vero intra duos menses proximos ante professionem. E contra contrit ista renuntiatio, vel donatio, si professio, quoad effectum non sequatur, cum conditio deficiat; quo casu novitio omnia sua bona libera manent; & si, v. g. monasterio, vel alteri quoad custodiam tradita sunt, eidem integre restitui debent, Trident. *ibid.* Societas tamen Jesu non tenetur ea restituere, quae novitius secundo anno probationis, vel post emissam vota biennii ei donavit, et si professio solemniter non sequatur; nisi aequitas egeat donatori aliquid restituendum suadeat: ita DD. S. J. ex suis Constitut. oppositum tamen docet Vinc. Pena.

10. R. 4. Dispositio pro actu inter vivos probabiliter contrit, si novitius moriatur ante emissam professionem: ita communiter; nam tali casu deficit conditio secutae professionis: opposita sententia, quam docent Sinar. Engl. & alii magna nititur probabilitate, quia ex mente Trid. irritatio ista concepta est pro casu, quo novitius vult, vel potest libere exire, ne propterea ab exitu impediatur: quae ratio cessat in casu, quo quis post talem dispositionem moritur. Unde sub illa conditione: *nisi professione secuta*; recte intelligitur velut de iure inexistentis altera conditio: nisi morte secuta. Hac secunda sententia stante, novitius donationem prius legitime factam revocare non potest, nec de bonis ita dispositis ante mortem testari: quod tamen potest iuxta fundamentum prioris sententiae; secus, si de talibus bonis per ultimam voluntatem non disponat, bona devolvuntur ad haeredes ad intestato.

11. R. 5. Renuntiatio, & dispositio de bonis, quam quis fecit ut candidatus Religionis, sive extra, sive intra monasterium ante susceptum habitum, non continetur sub decreto Concilii; ac proinde mero iure subsistit: ita Menoch. Garz. Petta, Schmier, & alii contra Navar. Flam. Lessium, Reiff. &c. nam Trid. loc. cit. loquitur de renuntiationibus, quas facit novitius: tum quia cap. 15. praecedens continuatur cum seq. cap. 16. per verba: *nulla quoque*: tum quia sermo ibi est de illis, qui ante professionem egredi possunt; quales utique sunt novitii: atque candidatus ante susceptum habitum non est novitius proprie, & cum effectu; ergo dispositio illius ante facta non continetur sub decreto Concilii. Et pro hac sententia dicitur constanter stetit S. Congr. praesertim in Romana 1613. die 22. Jan. teste Petta, Donato, Sanchez, Fago.

12. Dices: Decretum Tridentini est favorabile, & eadem militat ratio pro renuntiationibus candidati, & novitii, ut salvis suis bonis, liberum habeat egressum; ergo talis renuntiatio comprehensive facta sub decreto Trid. praesertim cum proxime accingendus pro accincho habeatur, l. 43. ff. de *testam. milit.* R. Decretum istud, utpote exorbitans, & correctorium juris naturalis, & positivae, est odiosum, & stricte interpretandis; adeoque ad casum candidati disponens non expresse non debet extendi; & si forsitan esset similis ratio, cum tamen sit diversa: nam ante novitiatum rarissime sunt tales renuntiationes; frequenter vero in novitiatu, & saepe in favorem Religionis. Neque tali modo libertas novitii restringitur: quia egrediendi datur in integrum restitutio, etiam majori, ex clausula generali l. 1. in fin. ff. ex *quib. caus. major. ibi: si qua alia mihi iusta causa esse videbitur &c.* 2. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

Ceterum donationes causa ingressus religiosi factae non subsistant solemnitatibus civilibus per *Nov. 5. c. 5. &c.* ita saepe decidit Rota.

13. R. 6. Dispositio per ultimam voluntatem a novitio facta, v. g. per testamentum, aut codicillum, omni iure subsistit; etsi novitius moriatur ante professionem. Unde, si quid iudicavit pro anima sua in favorem monasterii, id ex bonis illius integre extrahendum est monasterio: nam talis dispositio nullo iure irritatur; modo debitis solemnitatibus sit subnixta. Sufficiunt autem ad testamentum novitii solemnitates juris Can. ex communi DD. & recepta praxi: locus si testamentum in seculo fiat, necessariae erunt solemnitates civiles secundum leges loci.

14. R. 7. Circa executionem voluntatis novitii observantur seq. 1. Si novitius disposuit per actum inter vivos, res donatae non traduntur donatario, aut cessionario ante professionem, etiam quoad dominium revocabile, cum ex decreto Trid. donatio nullum fortitur effectum, nisi secuta professione. Possessor tamen custodia causa tradi potest donatario, quod Trid. supponit; dum abeuntibus ante professionem omnia eorum bona restitui jubet. At secuta professione, statim facienda est executio dispositio, cum donatio absoluta, & perfecta evadat. 2. Si novitius per actum ultime voluntatis disposuit de bonis actu suo dominio subjectis, secuta professione, statim faciendae est executio quoad ea, quae pro monasterio iudicavit, cum statim ius ad monasterium devolvatur, *Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl.* cetera vero bona, saltem in Religionibus domini capicibus, theoretice loquendo, primo post mortem naturalem profecti descendenda essent haereditibus, & legatariis extraneis; & interitum in dominio monasterii conservanda: nam ultima voluntas non est efficax ante mortem naturalem testantis. Excipit, nisi novitius expresse cavisset, ut voluntas sua statim post professionem effectum fortiretur: vel nisi esset alia loci consuetudo. Legitima vero, cum vim alimentorum habeat, statim post professionem tradenda videtur, uti & dos uxori. Quodsi pater de bonis suis ante professionem non disposuit, omnia bona, excepta legitima liberorum, devolvuntur ad monasterium, *Auth. ingressi, & si qua mulier. C. de SS. Eccl.* de equitate autem professus cum licentia Praelati de bonis istis inter liberos disponere poterit; dummodo monasterium partem vitalem relinquat, *cit. Auth. si qua mulier.* quae saltem tacite approbatur ab Ecclesia. Quomodo feudae, emphyteutes, & fideicommissa devolvuntur ad monasterium, suis locis dictum fuit. 3. Dispositio novitii circa legitimam, & aliam successionem a patre, matre, vel consanguineis obventuram, ita deum valet, si Religiosus supervivat parentibus, vel consanguineis: ita comm. nam praemortuo nulla debet successio, nec legitima ante mortem parentum *lib. 1. §. 21. ff. de coll. bon.* Neque locum hic habet jus representationis, seu fictio, quasi monasterium representaret monachum in se viventem, sicut filii representant Patrem; quia fictio ista a nullo iure exprimitur. Si tamen cum parentibus facta est transactio super jure legitime, observanda erit; etsi religiosus praemoriatur parentibus. 4. Si Pater habuit usufructum in bonis adventitiis filii, & vel Pater, vel filius Religionem professus est, usufructus videtur dividendus inter eos. Ita inter duas extremas media docet sententia ex l. 6. §. 3. C. de *bonis quae liber.* ubi patri filium emancipanti medietas usufructus attribuitur; sed in dato casu filius ipso facto emancipatur, quia, sive pater, sive filius profiteatur, patria potestas solvitur: & quidem ex parte patris, quia is constituitur in potestate Praelati alium in potestate habere nequit: ex parte vero filii, quia is constituitur sub obedientia Praelati, totaliter eximitur ab obedientia patris in seculo remanentis, ergo. Quia vero in hoc puncto iura obscura sunt; optimum erit ad amicabilem compositionem, vel consuetudinem loci recurrere: vide Engl. a n. 41.

15. Q. IV. *An novitius absque causa gravi, & licentia Praelati libere, & licite redire possit ad seculum?* R. Affirmative, c. 23. h. t. c. 1. *ead. in 6.* nam per se nullum est praecipuum de perseverando in statu religioso: per accidens vero talis exitus potest esse illicitus, ut si novitius ex odio, vel alia prava passione egredietur;

vel praevidet se rediturum ad occasiones peccandi; vel si emitit votum de perseverando: quo sensu procedit cap. 20. & 23. h. tit. & cap. 2. eod. in 6. Si autem in ipsa Religione expectatur difficultates valde graves, antea non praevisas, ita ut eis terendis moraliter non sit par, non obligatur tali voto ad perseverandum: tunc quia votum hoc non fuit conceptum pro statu tam gravi, & importabili: tum quia materia voti redditur moraliter impossibilis, & conf. subducitur ab obligatione naturali. Jam si novitius exeat, omnia sua bona sub pena anathematis restituenda sunt; & Episcopus per censuras Ecclesiasticas ea reddere recusantes compellere potest.

18. *Psis autem regularis propriis novitii pecuniis confecta, ex decreto Cong. Conc. in dubio Restitutio- nis vestis 28. Sept. 1686. non est restituenda, sed eius valor juxta praesentem tempus vestitionis.* *Idem.*

Neque novitius egressus regulariter teneretur solvere vicium pro eo tempore, quo in novitatu fuit; praesertim si per hoc libertas excedendi ei minueretur; Trid. S. 25. cap. 16. de regul. ubi tamen admittit pro vicium, & vestitu novitii aliquid recipi posse. At si quis ficto animo ingrederetur Religionem, is tanquam dolosus deceptor, teneretur monasterio omnes expensas refundere.

16. Q. V. *Quae opera, & fautores sint novitiorum?* R. 1. Novitius, licet regule non subdatur, sicut professi, tamen subest potestati Praelati: non exempti quidem, quantum Episcopus permittit; exempti vero plene quoad jurisdictionem quasi-Episcopalem, Laym. Cordub. Engl. Schmier & alii communiter: nam, ne dicamus novitios vagis annumerari, necesse est eos subjeci jurisdictioni Praelati, praesertim exempti; cum tempore novitatus a jurisdictione sui ordinarii iudicis subtrahi sint, ergo. Unde Praelatus potest novitios iusta praecpta imponere, etiam sub censura, delinquentes punire, excommunicare, suspendere, casus reservare &c. & licet novitii non obediendo, non peccent contra obedientiam religiosam, quam necesse novitium; peccant tamen contra jurisdictionem Praelati, sicut alii subditi non obediendo suo legitimo iudici.

17. R. 2. Favores novitiorum complures sunt; 1. Gaudet privilegiis, & indulgentiis suae Religionis. 2. Privilegio fori, & Canonis. 3. Possunt a Praelato Ordinis absolvi a reservatis, dispensari in votis aliisque, sed juxta tenorem privilegiorum. 4. Fructus grossos ex beneficio percipiunt. 5. Habent jus qualitatum ex acceptatione in novitatum, ut sine iusta causa dimitti non possint. Hinc capitularis in dubio, an novitius sit idoneus ad professionem, teneretur potius dare calculum favorabilem, si adhibita diligentia, non deprehendit indigentiam, seu incapacitatem subiecti: quia per causam dubiam non debet novitius spoliari jure quasto. Secus dic, re integra, dum agitur de susceptione in novitatum; tunc enim causa etiam dubia sufficit ad illum excludendum; cum nihil juris habeat ad susceptionem. 6. Ex communicatione privilegii, quod S. Pius V. dedit monialibus S. Dominici, in articulo Mortis ante expletum annum probationis, potest professionem emittere: si autem convalescat, teneretur novitatum continuare, & denuo profiteri, Donat. Cetera de educatione novitiorum petenda sunt ex decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. ubi usu recepta sunt, & ex propriis cujusque Religionis statutis.

§. II.

De Religiosis professis.

18. *Nata*, Professionem religiosam esse actum Religionis, quo homo fidelis, unctus, & acceptatis tribus substantialibus votis, se totum Deo, & Religioni approbata tradit; atque ita perfecte transit in numerum rerum, seu personarum sacrarum. Et quamvis professio simplex in Societ. Jesu claudicat, ut ex parte profitentis sit obligatoria, non vero ex parte Religionis acceptantis; tamen professio solemniter in aliis Religionibus, uti etiam in Societ. Jesu, est quasi contractus utriusque obligatior: ex parte profecti, ut

Deo, & Religioni perpetuo deserviat: ex parte vero Religionis, ut profectum retineat, alar, & tanquam filium tractet; si vero professio fuerit expressa, siue tacita, v. g. per assumptionem habitus, quo soli profecti utuntur, vel per exercitium actus solis profectis communis.

19. Q. I. *Quid requiratur ad valorem professionis?* R. 1. De jure naturali requiritur persona capax, usuratiois praedita, seriam habens intentionem se obligandi; & e contra acceptatio legitimi Praelati: item ut absit dolo, vel error substantialis, uti & conditio contraria substantiae professionis: ut si quis profiteretur sub conditione, aut modo, ut proprium possit habere, uxorem ducere, pro placito Religionem desistere &c. nam ad valorem contractus obligatorii requiritur consensus mutus, ad omni dolo, vel errore substantiali, & a pactis sibi contrariis liber, ut supra dixi de contractibus. De jure positivo requiritur aetas legitima sexdecim annorum expletorum, & praevia probatio in habitu religioso per annum; Trid. sess. 25. cap. 15. de Regul. & ut professio spontanea absque vi, & metu gravi emittatur cap. 1. de his, quae vi. Uno ex his deficienti, professio est invalida; ob expressam imitationem jurium. Cetera impedimenta, quae exprimuntur in Const. Sixti V. incip. *Omni de omnibus* non vitiant valorem professionis; nam quoad clausulas irritantes correctae est, & ad terminos juris communis restricta per Const. Clem. VIII. incip. *In summa*: nisi in aliqua Religione specialia essent impedimenta irritantia; quae occultata utique invalidarent professionem.

20. R. 2. Si professio invalida fuit ex quocunque capite, nullam coram Deo inducit obligationem. Et quidem si defectus notorius est, licet etiam in foro externo ex Religione egredi; si vero occultus est, & non facile in jure probabilis, v. g. ficta professio sine animo se obligandi, tunc professio praesumitur valida in foro externo; & ita profectus tenetur se gerere ut religiosum: si tamen exeat, & ignotus vivat, non peccat.

21. R. 3. Si professio invalida fuit ex parte Praelati acceptantis, convalidari potest per ratificationem ex reg. 10. in 6. si invalida fuit ex defectu intentionis in proficiente, convalidatur per remotionem scilicet, & novum consensum religiosi, qui tacite acceptatur a Religione; vel saltem a Papa, seu Praelato supremo omnium Religionum; adeo ut circa hunc defectum intentionis non sit necesse certificare Praelatum religiosum. Si tandem professio fuit invalida ex alio defectu, non convalidatur, nisi tali defectu sublato.

22. R. 4. Religiosus, elapso quinquennio professionis, non potest reclamare contra nullitatem illius, Trid. sess. 25. cap. 19. de Regul. nam intra tantum tempus praesumitur professio convalidata. Idem debet de Religione, ut identitate relativorum nec ista audienda sit, probare volens nullitatem professionis. At remedium extraordinarium restitutionis in integrum non est sublata a Trid. adeoque potest quis ex iusta causa restitui adversus lapsum temporis, v. g. si toto quinquennio metus gravis injustus duravit, propter quem non licuit reclamare.

23. *Circa nullitatem professionis in Const. Bened. XIV. Si data 4. Martii 1748. statuunt.*

I. *Quod Superior regularis, detecto aliquo impedimento ante professionem a religioso occultato, de quo prius interrogatus fuerit, etiam ipso non reclamante, procedere possit in causa super nullitate professionis intra quinquennium in iudicium deducta, una cum Ordinario loci.*

II. *Quod quinquennium, cum agitur de nullitate professionis ob metum, computandum sit a die emissa professionis, non a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere coepit.*

III. *Quod causa nullitatis agi possit, etiam post elapsum quinquennium, dummodo a reclamante intra illud serio imemorata fuerit, iudiciumque profecti neglexerit, aut nequiverit.*

IV. *Quod iudices debeant esse Ordinarii loci, etiam Rome, ac in ejus districtu, & actualis Superior illius monasterii eo tempore, quo causa in iudicium deducitur. Quoad moniales Ordinario subiectas iudex sit solus ipse Ordinarius: quoad subiectas vero Regularibus.*

bus, Superior regularis, cui universi monasterii regimini creduntur esse, una cum Ordinario loci.

V. *Quod Superior regularis, si iudicium assumere nolit, aut nequeat, possit loco sui alium subrogare, si vero regularem, siue secularem Ecclesiasticum juris Canonici peritum; non tamen jus suum Ordinario loci cedere, nisi solus procedat.*

VI. *Quod si iudicia Ordinarii, & Superioris discrepantia fuerint, causa ad Sedem Apostolicam devoluta censetur.*

VII. *Quod iudicium ad eandem Sedem privative spectet causa nullitatis professionis, ex quo haec emissa fuerit extra canonicam pro novitatu assignatum.*

VIII. *Quod sub pena nullitatis professus, & sententia non fundatur iudicium in extrajudicialibus attestationibus, etiam juramento firmatis, quae ad perpetuam dicuntur, sed instituantur processus verus, & iudicialis, in quo & articuli exhibeantur ex parte reclamantis, & interrogatoria dentur ab eo, qui stat pro validitate professionis, & testes tam super articulis, quam juxta data interrogatoria examinentur: qui tamen processus juxta Trident. sess. 25. c. 19. de Regular. nunquam inhiberi potest, nisi confect, reclamantem in Religione sine clausuris morari, & regularem habitum resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.*

IX. *Quod sub eadem nullitatis pena citentur cum defensores monasterii, in quo reclamans vota suscipit, tum ipsius consanguinei, siue propinqui, siue alii, quibus sua bona donavit: aut cessit; ceterique omnes, quorum interest professionem sustineri: in primis autem ii, si Superiores fuerint, qui indicati erunt, tam antea, aut complices metus eidem reclamanti incussi, ut votis iniuncti se obstringeret.*

X. *Quod a locorum Ordinariis deputetur defensor professionum ea lege, eoque modo, quo ex altera ejusdem Pontificis Constit. Dei miseratio, quam vide lib. 4. tit. 19. de divitiis, deputandus est defensor pro validitate matrimonii: cui honorarium, expensaeque occurrentes exsolvendae erunt ab illis, quibus professus bona sua renuntiavit; vel a Religione, si ii non existant, aut nihil a professore renuntiatum fuerit: vel si Ordo regularis nihil possideat, ex multis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, siue alterius, ut in citata Constit. De defensore matrimonii.*

XI. *Quod post sententiam latam a Superiore regulari, & Ordinario loci pro validitate professionis, causa finita intelligatur, si professus nullam interposuerit appellationem: si vero interposuerit, serventur praescripta in dicta Constit. De defensore matrimonii.*

XII. *Quod non nisi post duas sententias conformes pro nullitate professionis, professus discedere possit a Religione, vel habitum dimittere sub penis contra apostatas latis.*

XIII. *Quod iudices in secunda, aut ulteriori instantia esse debeant ii, ad quos de iure alia omnes causae Ecclesiasticae post sententiam Ordinarii, in gradu appellationis devolvuntur, una cum Superiore regulari, non illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem Ordinis in eorum civitate, aut diocesi existentis: vel eo non extante, cum Superiore vicinioris monasterii ejusdem Ordinis, seu persona ab eodem Superiore deputanda: qui tamen Superior ab eadem sententiam non admittitur, si causa in secunda, aut ulteriori instantia ad Sac. Congregationes, aut Rotam devolvatur.*

XIV. *Quod si iudicium nullitatis institutum fuerit post elapsum quinquennium, recurrendum omnino sit a locorum Ordinariis, & Superiore regulari pro facultate restitutionis in integrum adversus illius lapsum.*

XV. *Quod sub pena nullitatis actorum, etiam in causis dissentientibus super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennium ex commissione regularibus Superioribus, ac locorum Ordinariis, a Sede directa intervenire debeat, tam in prima, quam in ulterioribus dubiis propositionibus defensor professionis.*

XVI. *Quod idem servetur, tam a Cardinalium Congregationibus, quam a Rota Auditorio, siue quacunque Congregatione specialiter deputata. Et defensor deputetur ab eo, qui est caput tribunalis, expensis eorum, de quibus supra.*

XVII. *Quoad fructuum beneficiorum restitutionis in P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.*

integrum praecedere debeant duo conformes favorabiles resolutiones, sub penis pariter contra apostatas latis: si reclamans post primam & clausuris migrare, multoque magis si habitum dimittere praesumpserit.

23. Q. II. *Qui sint precipui effectus valide professionis?* R. seqq. 1. Obligatio ex genere suo gravis ad servanda vota. 2. Vinculum perpetuum cum Religione ex ipsa natura professionis, seu status religiosi; sicut ex nuptiis sequitur vinculum conjugale perpetuum. 3. Causa in subiecto apto plenam remissionem peccatorum quoad omnem penam, ut tener pia sententia: quod beneficium multi extendunt ad illos actus, quibus professio religiosa, pro more religiosorum, publice, aut privatum serio renovatur. 4. Extinguit ipso jure alia vota, & iuramenta cap. 4. de voto. 5. Dissolvit matrimonium ratum, & dirimit contrahendum, cap. 2. 7. 14. de convers. conjug. 6. Aboluit maculas, & defectus civiles, ut irregularitatem ex natalibus, c. 1. de fil. presb. notam ingratitude ad exheredationem de jure sufficientem Can. sm. 19. q. 3. Nov. 125. inhabilitatem ad actus temporales ex crimine ortam, v. g. ex furto, perjurio, falso testimonio Nov. 5. pr. &c. 7. Reddit religiosum capaxem participandi omnia privilegia sui Religiosis, qui privatis, & singulis communicantur. Neque tollit nobilitatem ex sanguine tractatam; quia jura sanguinis de se perpetua compatibilia sunt cum statu religioso arg. l. 34. ff. de pact. Cessat vero dignitas temporanea ex officio descendens; quia extincto officio, v. g. consulis, gubernatoris &c. extinguuntur talis dignitas, & denominatio. Hi sunt effectus professionis solemniter. Ad professionem simplex in Societ. Jesu non inducit perpetuitatem ex parte Religionis, nec absolutam obligationem servandi vota, sed conditionatam, donec quis in Societate vixerit: nec dissolvit matrimonium ratum, licet ex speciali privilegio dirimat contrahendum: ita DD. Societ. Jesu.

24. Q. III. *Ad quid obligentur professus ratione votorum?* De hac materia pro foro conscientiae suffus agunt Moralitae: ego pro foro Can. praecipuas qd. hic resolvam. Unde.

R. 1. Religiosus ratione castitatis obligatur abstinere ab omni voluptate venerea, tam interna, quam externa; fecus peccando, duplicem malitiam committit, scil. luxuriae contra temperantiam, & facilegii contra votum Religionis. Sola castitas conjugalis, quam quidam Ordines Equitum conjugatorum observant, non sufficit ad verum, & proprie statum religiosum, S. D. 2. 2. q. 186. ar. 3. & seqq.

25. R. 2. Religiosus ratione paupertatis obligatur, non proprium quid habeat ex bonis fortunae, vel aliquo, tanquam proprio utatur, Can. 11. non dicatis 12. q. 1. & c. 2. q. 6. de stat. monach. Unde i. quidquid religiosus acquirit undecumque, modo tamen jure suo, monasterio, & non sibi acquirit; adeo ut ad rem per se acquisitam nihil juris habeat; licet conveniens sit, ut Superior ex acquisitis ei aliquid dispenfer ad usus necessarios. 2. Peccat religiosus contra paupertatem, si sine licentia exerceat actus proprios domini, v. gr. alienando, vendendo, donando, permutando res sibi ad usum concessas: ut si breviarium venderet, aut penuraret &c. item si recipiat res a secularibus, & pro iis retinendis licentiam superioris non petat; vel si rebus sibi concessis abutatur, vel per dolum, aut culpam latam eas destruat &c. nam solus usus facti ei concessus est, & tanquam diligenti usuario incumbit onus bene rebus uti, non abuti. Sufficit autem licentia Superioris non tantum expressa, & tacita, sed etiam rationabiliter praesumpta; licet modus aliquo modo duplicet Superiori. Sed in hoc puncto religiosi sint timorati: nam si superflua retineant, vel ea, quae difficulte sine expressa licentia concedi solent, non tam facile praesumere possunt de licentia Praelati; estis is res istas forsitan in cubiculo videre, aut de illis notitiam habere possit; quia tacens factus non habetur pro conficiente; cum tacere, & tolerare posse minus malum ad evitandum majus, quod sequeretur, si religiosus, praesertim iniquiter, & correctionis impatientibus auferret ea, quae sine licentia habent. 3. Praelatus dispensare non potest, ut religiosus superflua, & praesertim pauperum statum

religionem decentia penes se habeat, vel aliqua in usus vanos, & illicitos expendat: ita certa, & contententia: nam Praelatus non est dominus, sed dispensator c. 2. de donat. si vero tales licentias daret, non dispensator, sed dissipator, & paupertatis religiose everteret. Hinc bene dixit Clem. VIII. in decreto incip. Nullus omnino non esse credendum Superioribus, etiam si afferent, se posse huiusmodi dispensationes concedere; cum re vera talis Superior, & subditus se ipsos, & non Deum decipiant. 4. Attento iure scripto, Superior privato religioso non potest concedere peculium, cuius administratio fit penes ipsum religiosum, etiam dependenter a voluntate Superioris, uti sunt annui redditus, administratio ville &c. ita Less. Lopez, Molin. Fagn. Donat. Reiff. & alii communiter contra Navar. Rodrig. Sanchi Pron. ex Trid. sess. 25. c. 2. de Regul. & decreto Clementis, & Urbani VIII. incip. Nullus omnino s. 3. neque Superioribus, ubi prohibetur, ne Superiores bona ad usum, vel usum fructum concedant privatis religiosis, sed acquisita incorporantur conventui, & per officiales ipsius administrantur. Stant pro hac sententia plures declarationes Sacr. Congregat. quas affert Petra: nam tale peculium valde adversatur perfectioni paupertatis religiose, & ergo merito sublatum est per cit. Trid. & Decretum Clem. Ceterum si Superior, vel officialis administraret talia bona, & inde necessaria det personae, ratione cuius bona sunt acquisita: id non contrariatur citatis iuris, uti nec illa consuetudo, vi cuius Superior concedit mobilia necessaria religioso, in usus necessarios, aut honestos expendenda; dummodo non concedat superflua, Trident. loc. cit. ibi: *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum superpellex status paupertatis, quam professi sunt, convenerit, nihilque superfluum in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis debeat.* Dixi attento iure scripto, quia consuetudo habendi peculium dependenter a voluntate Superioris, praesertim apud moniales in multis locis toleratur tanquam licita: eius tamen extirpatio optanda, & procuranda foret. Vide Reiff. de stat. monach. a. num. 5. Laym. & alios. 5. Quantal materia, seu quantitas requiratur ad peccatum mortale contra paupertatem, certa regula statui non potest. Regulariter DD. docent idem sufficere, quod ad futurum mortale. Nec te decipiat Diana, obiter assignans duos aureos, quia in Doctoribus, quos citat, id non invenit: nam aliqui ex illis duos julios, alii quatuor assignant, qui in nostra moneta nec medium, aut unum florenum faciunt. Nec etiam se explicat, quales aureos intelligat: nam aurei, vel ducati in Italia sunt diversi: aliqui non excedunt valorem 30. grosorum nostrae monetae. Quia tamen religiosus comparatur filio, censet aliquantum plus requiri ad mortale, quam ad futurum; dummodo monasterium non sit nimis pauper. 6. Penae religiosi proprietarii sunt: privatio vocis activa, & passiva, Trid. S. 25. c. 2. de regul. expulsio e conventu c. 6. de stat. monach. cui hodie successit carcer, vel alia similis poena: & tandem sepultura avari, si apud mortuum, seu in morte proprietaria aliqua reperta fuerit; & saltem aliquid de ista proprietate cum religioso in hereditate sepelendum est, cit. c. 6. ut fecit S. Gregor.

26. R. 3. Religiosus ratione obedientiae obligatur parere Praelato precipienti secundum regulam, & proprietarias Constitutiones: id vero, quod in reg. FF. Minor. S. J. & in Constit. nostris p. 2. c. 2. dicitur, ut obedientiam Superiori in omnibus, ubi peccatum non est, intelligendum est de obedientia supererogatoria, & in gradu excellenti, ut docet S. D. 2. 2. q. 104. ar. 3. ad 3. & in 2. d. 44. q. 2. ar. 4. ubi distinguitur triplicem obedientiam: *Indiscretam, seu illicitam, quae obedit in illicitis contra legem Dei, vel Ecclesiae, vel contra propriam regulam: Sufficiens, seu necessariam, quae obedit in his tantum, in quibus secundum propriam regulam obidere tenetur: & perfectam, seu excellentem, quae obedit Praelato in omnibus, in quibus non subest peccatum.* Religiosus vi voti obligatur ad obedientiam sufficientem, quae ad salutem sufficit; non vero ad perfectam, quae est extra preceptum, & pertinet ad cumulum perfectionis; licet suadenda sit omni religioso, sicut nobis in Const. l. c. fecerit totum inculcatur, ut integre, prompte, foriter & cum humili-

tate debita Superiori obediamus. 2. Subditus tenetur obedire Praelato non tantum in his, quae expresse, sed etiam quae tacite continentur in regula: nam quae tacite infunt, perinde est, ac si expresse essent, cum taciti, & expressi eadem sit vis ex l. 3. ff. de R. C. l. 136. ff. de R. J. Illa autem tacite, quae implicite continentur continentur in regula, quae moraliter necessaria sunt ad institutum, & regulae observantiam. Hinc potest variare temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum varia a capitulis generalibus, & provincialibus conduntur statuta, ad conservationem, & observantiam instituti necessaria; ad quae utique religiosi obligantur, uti & ad penas in eis statutas. Quodsi autem regula notabiliter relaxata sit, maxime per Sedem Apostolicam, professi regulariter loquendo, non tenentur ad suscipiendam reformationem primitivae regulae: nam regulam non aliter profecti sunt, quam sicut hic, & nunquam communiter observata fuit.

27. Q. IV. An. & quomodo professio religiosa dispensari possit? R. 1. Vota professionis quoad accidentalia dispensative relaxari possunt, maxime per Sedem Apostolicam: sic enim Papa potest religiosum subtrahere actuali obedientiae telamentum de rebus per se acquisitis, cum dispensatio ista fieri possit nomine Papae, vel monasterii, non vero nomine proprio, & iure domini. 2. Promotio ad Episcopatum, vel Papatum non solvit professionem religiosam, S. D. 2. 2. q. 185. ar. 8. nam status religiosus non repugnat; imo maxime convenit status Episcopalis: ut patet in Apostolis. Unde religiosus factus Episcopus obligatur voto castitatis, ut de se patet: voto paupertatis, quia non sibi, sed Ecclesiae acquirit, & superflua vane expendendo peccat contra paupertatem: voto obedientiae, quia tenetur obedire Papae, non tantum obedientiam communi, sicut alii Episcopi, sed speciali descendente ex voto: at respectu Superiorum regularium obedientiam tenet: tantum in habitu, sicut in Generali; ita ut, si absolveretur a vinculo Ecclesiae, recideret in actualem potestatem Praelatorum regularium. Porro eo casu, quo religiosus in Episcopatum promovetur, omnia ei concessa ad usus necessarios, ut libri & alia superflua, subtrahenda sunt eidem, ne illius promotio sit monasterio damnoosa; nisi Religio ex benignitate velit ei relinquere ad usum; non tamen donare aliqua maioris momenti; cum Superioribus administratio, non donatio sit permisa, cap. 2. de donat. cap. fin. de off. Vicar. in 6.

28. Ex constitutione Benedicti XIII. Posulat 7. Mart. 1725. *interdicitur quibuscumque Regularibus ad quamcumque Ecclesiasticam dignitatem extra suum Ordinem assumpti scdm asportare, propriisque usibus applicare, Libros, pecunias, credita, deposita, & bona mobilia, seu immobilia cuiuscumque generis, & specie, quae eos tempore suae promotionis penes se, vel alios habere contingerit, exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis, & breviario; sed ea omnia statim, ac sine promotionis consensu, & antequam consecrationis nubes suscipiant, Superiori locali, & capitulo cenobii, conventus, aut domus, ubi degunt, integra, & intacta absque ulla proventus diminutione, cum eorum nota, seu inventario bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum cenobio, conventui, vel domui applicari possint, ac debeant, cui juxta Constitutiones, & consuetudines cuiuscumque Ordinis, Congregationis, ac Instituti applicanda esse constituerit. Quod si fecerint, & huic nostrae ordinationi non obtemperare praesumpserint, contravenientes, ultra poenam suspensionis ab exercitio Pontificalis ministerii in Praefat. Clement. IV. litt. constitutam, suspensionis insuper a divinis pernam ipso facto incurant - *Pape reservantur, sublatam etiam Majori Penitentiaro eam relaxandi facultatem: & ad. rerum usum nec ad tempus Superiores concedere possunt. Et ex Constit. eiusdem. Custodes. 7. Martii 1725. istdem Regular. tam ad Episcopatum, quam ad Cardinalatum ecclesiis precipitur in virtute S. obedientiae sub poena suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda. Pape reservantur: ut - Singulis suis regulae officii, obligatio, quae pontificalis, sive cuiuscumque alterius dignitatis, ac cardinalatus officium minime impediunt, perpetuo subsint: & pro-**

et proinde sui monastici Ordinis, seu alterius regulae Mendicantium, insignia, & propria indumenta lanea, cuiusque peculiari colore distincta: rasilem quoque ad fatus planitiam in summo vertice, vel eo giro, & forma expressam coronam praesertant, quibus antea intra eorumdem regularium Ordinum claustra militabant.

Nota, quod ab hac vestendi lege eximuntur Clerici Regulares, cum eorum Ordinum habitus idem revera sit cum habitu presbyterorum secularium, ut animadvertit Bened. XIV. in epistola decret. ad Joachimum Cardinalem Portocarrero 13. Octobr. 1743. sicuti & Canonici Regulares ex privilegio Leonis X. Constit. 34.

Praecipitur ulterius in citat. Constit. Custodes ut dimisso Episcopatu, seu quacumque alia dignitate, ad quam evecti fuerunt, vel perfuncti munere sibi extra claustra commissi, ad eadem claustra redire teneantur sub poena privationis usus pontificalium: nisi permanserint in continentia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis. &c.

28. R. 3. Papa non potest dispensare in substantia alicuius voti religiosi pro sensu composito, hoc est, ut quis maneat religiosus, & habeat, v. g. proprium, vel uxorem ducat: ita com. sententia, quam amplectitur Innoc. III. in cap. 6. cum ad monasterium de stat. monach. in fin. dicens: *abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis adeo est annexa regulae monachi (observa hic sensum compositum) ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* In qua decretali doctrinam suam fundat S. D. 2. 2. q. 88. a. 11. & solide probat per Ecclesiam non posse dispensari in voto castitatis religiose: quia debium continentiae est essentialis status Religiosis, seu ut dicit decretalis, *quia castitas est annexa regulae monachali.* Quod argumentum manifeste procedit de dispensatione in sensu composito; cum nulla sine sensu essentialibus subsistat. Ita intelligenda mihi videntur cetera omnia in d. art. 11. expressa; utpote ab hac ratione pendencia; praesertim illa verba: *Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit religiosus:* nam hoc assertum probat S. D. per principalem argumentum statim subiectum: quia continentia essentialiter est annexa statui Religioso; ergo verba ista intelligenda sunt in sensu composito, acsi dicerent: Deus non potest facere, quod ille, qui est homo, non habeat animam rationalem, seu non sit homo; quia sicut anima rationalis est de essentia hominis; ita castitas, & alia duo vota sunt de essentia professi, seu hominis quareligiosi. Ex quibus hanc elicio rationem: Papa dispensando, non potest id tollere, quod est de essentia rei; sed tria vota sunt de essentia status religiosi, ut supra dixi ex communi doctrina; ergo dispensando, non potest Papa tollere votum, v. g. castitatis, vel paupertatis; ut eo sublato maneat quis religiosus: tunc enim esset ex supposito, & non esset religiosus, cum essentialia constitutiva religio non haberet.

29. R. 4. Papa potest dispensare in votis religiosi pro sensu diviso, hoc est, potest tollere totum vinculum professionis religiose, & hominem religiosum secularizare: ita hodie communior sententia: quam etiam ex Thomistis multi defendunt, Cajet. Andreas a Matre Dei in Salmantic. Moral. tract. 15. c. 1. punct. 3. a. num. 40. cum citat. contra Altioldorenses, Turr. Soc. Joan. a S. Th. Salmantic. speculativ. rr. 20. de stat. relig. cum citat. quam sententiam, utpote probabilem docui in theologia; licet nunc alia mihi videatur mens S. Thomae, ut eam num. praeced. exposui. Prob. 1. Papa habet a Christo domino generalem potestatem gubernandi Ecclesiam, & ea faciendi, quae magis expediant tum private, tum etiam publice felicitati fidelium, ut patet ex Matth. 16. *quodcumque solveris super terram, &c. & Joan. ult. pasce oves meas:* sed sub hac generali potestate continetur hac potestas particularis dissolvendi vinculum professionis religiose, ergo: probo minorem. 1. negative, quia nullibi excipitur. 2. positive, quia voluntates fidelium substantiis summe potestati Papali, ut, prout melius videtur, eas commutare, relaxare, & totaliter irritare possit: atque ita in consequentiam jura quaesita tollere; ac materiam subducere ab obligatione iuris naturalis; ut patet in irritatione votorum simplicium, juramentorum, & contractuum; ergo eo eandem rationem Papa habet

potestatem irritandi consensum religiosi, quo se Deo devovit, cum nullo iure divino scripto, aut tradito ostendi possit, casum istum exceptum fuisse a generali potestate irritandi. Quo casu jus naturale, & divinum non mutantur formaliter, & directe, sed materialiter, & indirecte; & in consequentiam, quatenus irritatio consensu, seu contractui, nulla restat materia, super quam obligatio iuris naturalis cadat. 3. Quod hac potestas particularis continetur sub generali a Christo data, si non per definitionem, saltem ipso facto declaratur Summi Pontifices, dispensando cum religiosis ad matrimonium; sicut Benedictus IX. cum Casimiro II. Rege Poloniae, monacho Cluniacensi; Coelestin. III. cum Constantia Moniali Rogerii Siciliae Regis filia, & postea uxore Henrici VI. Imp. Innoc. III. conditor decretalis: *cum ad monasterium, cum Ramiro II. Aragonum Rege Abbate, & Episcopo; Gregor. XIII. cum Provinciali Cappuccinor. Fratre Cardinalis Joysce, & alii cum aliis, ut Historici memorant, quorum auctoritas, quam nonnulli in dubium vocant, si non placeat probat, saltem multum adjuvat praesentem sententiam.* 4. Non minus Episcopus per confirmationem contrahit vinculum spirituale iuris divini cum sua Ecclesia, quam religiosus per professionem cum Religione; utrumque enim ex natura sua, & iure divino est perpetuum, ac indissolubile; imo fortius videtur esse vinculum Episcopi, quam religiosi, ut docet S. D. 2. 2. q. 174. a. 5. & 6. sed Papa, ut Vicarius Dei, seu potestate a Christo accepta, dissolvere potest vinculum Episcopi cum Ecclesia, ut clare docet Innoc. III. cap. 2. & fin. de translat. ergo etiam dissolvere potest vinculum professionis religiose, ut recte argumentatur S. D. cit. art. 6. in corp. ibi: *Episcopi autem, quia sunt in statu perfectionis, non nisi auctoritate summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis (qualia hic veniunt religiosa, ut ex contextu patet) dispensare, possunt Episcopalem curam deferere.* 5. Plerique RR. id ipsum probant ex ea ratione; quia Papa dispensare potest in votis simplicibus: sed solennia religiosa non differunt ab eis, nisi penes solemnitatem extrinsecam, ab Ecclesia introductam, c. unie. de vot. in 6. ergo etiam dispensare potest in votis solemnibus religiosis. Sed haec ratio merito rejicienda est; quia incertum per magis incertum probat: nam veter videtur sententia eorum, qui vota religiosa, quae ab extrinseco dicuntur solennia, afferunt intrinsece distingui a quibuscumque votis simplicibus, & solennibus nonreligiosis: siquidem solennitas extrinseca, sicut in matrimonio, non mutat, sed determinat vota religiosa, quae specificae talia important perpetuam traditionem, & acceptationem; perpetuamque obligationem ex parte religiosi, & Religionis; ut a principio Ecclesiae Christi observatum fuit; quae perpetuitas reciproca in nullis aliis votis simplicibus reperitur. Melius sententia ista confirmatur auctoritate S. D. in 4. d. 38. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3. iniquentis: *Et ideo alii dicunt probabiliter, si communis utilitas totius Ecclesiae, aut unius regni, vel provinciae exposceret, posset convenire, & in voto Religiosis, & in voto continentiae dispensare, quantumcumque esset sollemnizatum.* Ex quo patet ad valorem hujus dispensationis requiri gravem, & publicam causam, sine qua Papa in iure divino, & naturali dispensando, nihil agit, ut alias saepe dictum. Talis causa esset: tranquillitas totius regni, defectus fidei catholicae: ut si in regno succedere deberet haereticus, aut infidelis, nisi monachus, ducta uxore, regnum susciperet &c.

30. Obj. contra resp. 4. Pro sensu composito: 1. Papa potest totum vinculum professionis relaxare, quod est plus; ergo etiam in uno voto, v. g. castitatis dispensare, quod est minus. 2. Non repugnat, utquis sit maritus in habitu, & religiosus in actu: ut si conjugatus, consummato matrimonio, de licentia uxoris fieret monachus; quo casu vinculum matrimonium non dissolvitur; ergo neque repugnat, ut quis fit castus, seu monachus in habitu, & maritus in actu; quia tali casu votum castitatis non tollitur, sed tantum obligatio ejus suspenditur, sicut votum castitatis perpetue non tollitur, sed suspenditur, si votens ad matrimonium dispenseretur: quo casu talis monachus, mortua uxore, teneretur votum reddere Domino; sicut etiam monachus factus Papa, resignato Papatu, teneretur ad ob-

obedientiam, que per Papam suspensa fuit. 3. Licet obligatio radicalis, seu in actu primo annexa sit regulae monachali, non tamen obligatio exercita, & in actu secundo; ut patet in voto obedientie, & pauperitatis; sed radicalis obligatio castitatis componi potest eum conjugio, & usu ejus, ut patet in marito, qui prius vovit continentiam; ergo etiam haec duo componi possunt, ut monachus fiat maritus, & conf. in sensu composito Papa dispensare potest in votis religiosi. 4. Presbyter latinus, vel Episcopus in sensu composito possunt esse mariti, licet ligati sint voto solemnii castitatis; ergo a pari.

R. Ad 1. Conc. ant. & n. c. nam in antecedenti nulla est repugnantia, bene vero in consequenti, ut quis religiosus sit, & non habeat constitutiva essentialia religiosi. Sic Deus destruere potest hominem, non tamen illum conservare, destructa sola anima rationali. Ad 2. paritas ista non est contentenda; neque tamen quidpiam evincit; & ideo conc. ant. & n. conf. nam maritus, si de licentia uxoris fiat monachus, nihil agit repugnans vinculo maritali: tum quia matrimonium non consistit in usu; tum quia obligatio proxima reddendi debitum per uxorem remissa est; & conf. vinculo conjugali accedere potest vinculum professionis religiosae: e contra monachus, assumendo statum conjugalem, directe ponere aliquid repugnans vinculo monachali, puta jus maritalis: nam vi professionis religiose obligaretur ad abstinendum ab omni actu venereo, etiam qui licitus est in matrimonio; vi autem iniri conjugii obligaretur ad reddendum debitum, quae duae obligationes, utpote contrariae, non sunt compatibiles in eodem subiecto, praesertim si dicamus per tale conjugium acquiri jus petendi debitum. Nec est paritas a voto simplicis castitatis, & obedientie: nam simplex castitas non est de essentiali alicujus status; bene vero castitas religiosa est de essentiali status religiosi; ergo licet illa relaxari possit, non tamen ista in sensu composito religiosi status. Similiter promotio monachi in Papam nihil contrarium ponit voto obedientie, sed hujus exercitium suspenditur ex defectu praeccepti, seu altioris superioris. Ad 3. Neg. min. ex dictis: nam jus radicale castitatis religiose, seu abstinendi ab omni actu venereo, & jus petendi, ac obligatio reddendi debitum, directe sibi contrariantur; ergo non possunt componi in eodem subiecto, tum quia status religiosus est institutio Christi, & communi Ecclesiae sensu negative obligat, ne ei superinducatur status contrarius, ut est conjugalis: cum contra status conjugalis absolute negative non obliget, ne ei perfectior status superinducatur; sed tantum conditionate, si altera pars jus maritalis non amittat, vel non remittat. Pro ultima disparitate serviat magistra Romana Ecclesia: admittit conjugatis conversionem ad monachatum *ut. de convers. conjugat.* monachis vero negat reversionem ad nuptias: quia castitas annexa est regulae monachali, *cit. cap. 6. de statu monach.* Ad 4. Neg. consequentiam: nam castitas essentialiter annexa Presbyteratu, vel Episcopatu, sed solum ex praeccepto Ecclesiae, quod relaxari potest; e contra castitas jure divino annexa est essentialiter statui religiosi: ergo relaxari non potest, quin tollatur status religiosus; cum nulla res sine essentialibus subsistat.

31. Obj. contra respon. 4. de sensu diviso. 1. c. 6. in fin. de stat. monach. cum S. D. 2. 2. quest. 88. art. 11. & ibid. a. 6. ad 1. respondente: quod votum solemnne habet fortorem obligationem apud Deum, quam votum simplex. 2. Homo per professionem consecratur Deo, scilicet vi perfectae traditionis, sed consecratio non potest tolli a re, quamdiu res ista existit, ut patet in calice consecrato, ergo neque professio religiosa tolli potest ab homine, quamdiu vivit, ut in fert S. D. *cit. a. 11. ibi: unde multo minus potest hoc facere aliquis Prelatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desinat:* quod S. D. repetit statim infra: & ideo &c. quae locutio manifeste est pro sensu diviso. 3. S. D. in 4. d. 28. q. 1. a. 2. q. 2. de voto solemnii ait: *cujus obligatio in nullo casu irritari potest.* 4. Papa ex Sacerdote non potest reddere non-Sacerdotem; ergo neque ex religioso non-religiosum. 5. Papa utpote inferior: non potest tollere jus naturale, & divinum; sed professio religiosa est jus naturalis, & divini, ergo. 6. Papa nec indirecte

per subtractionem materiae dissolvere potest matrimonium consummatum, licet obligatio illius acquiratur Deo ex liberis actibus conjugum, ergo nec tali modo tollere possunt professionem monachi; quia non constat, quod Christus qui potestatem dedit irritandi consensum monachi: imo decauit pro excellentia tanti status, ne in tetris esset potestas eum dissolvendi.

R. Ad 1. Auctoritates istae procedunt de dispensatione in sensu composito, ut supra ostendi: obligatio fortior non obstat, quin a Vicario Christi tolli possit. Ad 2. Dist. maj. quamdiu existit quoad formam substantiam consecrationis, C. m. quoad suam substantiam physicam. N. m. Sic lapides in Ecclesia consecrati, quamdiu muro inhaerent, sunt consecrati; extrahi a muro desinunt esse consecrati: sicut etiam destructa forma calcicis, substantia auri non manet consecrata, manet tamen existens. Similiter in monacho tria considerari possunt: substantia physica persona, forma moralis consistens in reciproco consensu monachi, & Religionis, & inde resultans vinculum perpetuum Deo deservendi (hoc enim intelligit S. D. nomine consecrationis, & benedictionis, non vero aliquas preces, quae forsitan alicubi in professionibus adhibentur, ut recte advertunt Thomista) jam vinculum istud de se perpetuum, respectu cuius Deus habet jus quaesitum, tolli nequit stante consensu: hoc autem irritato, indirecte, & in consequentiam tollitur istud vinculum; sicut destructa forma calcicis, indirecte tollitur consecratio. Quod autem Papa consensum voluntatis nostrae irritare possit, abunde probatum est supra. Textus ex *cit. art. 11.* intelligendi sunt ex probatione subjuncta, *ibi: est ergo considerandum, utrum continentia sit essentialiter annexa ei; ad quod votum solemnizatur &c.* atque ita manifeste patet, S. Doctorem velles suos textus intelligi pro sensu composito, Juris quoque contrarium ignoranter dicere: licet pro sensu diviso doctre dicant, sicut ipse S. D. pro nobis allegatus, & plurimi Theologi tempore ejusdem S. Doctores; alioquin, si priora verba erode accipiuntur, sequitur grande absurdum in ipsa littera S. Thomae, quod scilicet Papa neque cum Presbytero seculari dispensare possit in voto solemnii castitatis; quia per tale votum est Deo consecratus: non potest autem facere aliquis Prelatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desinat; cum tamen S. D. in subjuncta ratione fundamentali distinguat, & contrarium doceat. Ad 4. obligatio ista ab intrinseco, & privata auctoritate partium in nullo casu irritari potest; bene vero ab extrinseco, & publica auctoritate Vicarii Christi, ad quem solum pertinet in votis perpetuis dispensare. S. D. 2. 2. quest. 184. art. 6. & arg. c. 2. & fin. de translat. Sic Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, & tamen ab extrinseco destrui potest. Ad 5. Per subtractionem materiae potest, ut saepius in simili dixi: irritari autem consensibus, nulla materia superest, ad quam terminetur jus naturale. Ad 6. Neg. conf. quod Papa matrimonium consummatum dissolvere non possit, id non oritur inde, quasi consensus fidelium irritare non valeret, sed altiori causa magno Sacramento; quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem Verbi cum Ecclesia per carnem; & ideo nec Vicario suo dedit potestatem illud dissolvendi, ut tota Ecclesia tenet ex *Matth. 19. quod Deus conjunxit. cap. 7. de convers. conjug. &c.* ista autem ratio est sensus Ecclesiae non currit in votis etiam religiosi. Cetera in minoris momenti ex his facile enodari possunt. Si tamen S. Sedes Apostolica declaraverit decretalem Innoc. III. cum ad monasterium, procedere in sensu composito, & diviso, paratus sum sententiam istam corrigere, & retractare.

S. III.

De juribus Regularium.

32. Q. I. *Quae sint praecipua jura Praelati generalis?* R. leqq. 1. Jus dignitatis, & praeminentiae, quae comparatur patriarchali: cum Generalis medius, & infimus Praelatus sibi subiectos habeant. 2. Jus potestatis privatae, scilicet patetnae, & dominicae: vi cuius impetare possunt subditis, sicut pater filio, & do-

minus servo, conformiter Instituti, irritare eorum vota, ordinare necessaria ad cultum divinum, res sibi commissas administrare, patet corrigere &c. Et quia haec potestas oritur ex voto obedientiae, sequitur, quod subditum suum ubicunque existentem tanquam rem suam repetere, & capere possit: quo sensu totus mundus dicitur esse Praelato regulari pro territorio. 3. Jus potestatis publica, seu jurisdictionis pro foro externo, & interno, *cap. 3. de privil. in 6.* quae potestas, vel est subordinata Episcopo, sicut in Praelatis non exemptis; vel ab eo independens, sicut in Praelatis exemptis. Et quidem in foro interno absolvere possunt a peccatis, & censuris specialiter Sedi Apostolicae non reservatis omnes suos fideliter: in foro autem externo possunt inquirere in vitam suorum, judicare, excessus corrigere, censuras ferre &c. 4. Generalis potest praecipua suis imponere, & decreta temporanea facere pro tota Religione secundum limites regulae propriae: ut perpetua statuta condere nequit, cum id reservatum sit capitulis generalibus, ut cum, docet in praxi; licet in S. J. decreta generalia dicantur durare, donec revocentur. 5. Generalis potest novas provincias erigere, dividere, adunare, sicut Episcopus beneficia, c. 8. de excess. Prael. 6. Potest etiam causas subditorum ad se advocare: non tamen subditum eximere a jurisdictione Praelati inferioris, ut provincialis, vel localis: nam ejusmodi exemptiones a jure communi exorbitantes facere, & subditum, omittis mediis superioribus, immediate sibi subijcere, est proprium solius Sedis Apostolicae, quae Episcopus a jurisdictione Archiepiscoporum, & Regularis quosdam a jurisdictione Episcoporum eximit, *Can. 52. frater. 16. quest. 1.* Denique Generalis potest ea omnia, ad quae jurisdictionis secundum propria statuta se extendit. Sicut e contra gravissime obligatur observantiam regularem procurare, laxitates tolerare, & ea, quae novum discipline regulatam dissolvere possunt, submovere: ut & in fine sui generalis rationem suae administrationis reddere capitulo generali, quo inferior est. Piusus ista videre in Scripturis regularibus.

33. Q. II. *Quae sint jura Praelati provincialis, & localis?* R. Jus potestatis paterna, & dominica, & jurisdictionis; vi quarum generaliter idem possunt in sua provincia, vel monasterio, quod Generalis in tota Religione: nisi potestas ista a propria regula limitentur; sicut plerumque limitari solent, praesertim localibus superioribus.

34. Q. III. *Quam potestatem habeant Praepositi monasteriorum?* R. Dominicam, & maternam, in qua patet sine cum Praelatis vitorum; at potestatem clavium, seu jurisdictionis non habent; cum potestas ista praerogativa officium spirituale, cuius femina regulariter incapax est. Id tamen Abbatissae concedi potest, ut Clericis in beneficiis instituere; & ab eis amovere, seu late suspendere, hoc est; simpliciter praeccepto prohibere possit, *12. c. de Al. & O.*

35. Q. IV. *Quid Praelati Regulares possint vi privilegiorum?* R. 1. Absolvere possunt suos subditos ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, exceptis casibus Bullae Coenae: dispensare in votis, juramentis, jejuniis, observatione scelerum, recitatione breviarii, irregularitatibus, & aliis, quae passim referuntur a DD. & de quibus suis locis dicam, praesertim *ut. de privil. juxta tamen privilegiorum tenorem.* 2. Praelati exempti libere suam jurisdictionem exercere possunt independentes ab Episcopo, exceptis illis casibus, in quibus de jure novo subijciuntur Ordinariis.

36. Q. V. *Qui sint illi casus, in quibus Regulares exempti subijciuntur suo Diacono?* Ghokier enumerat 116. Barbosa 50. alii plures, vel pauciores: sed de numero non est curandum, dummodo in substantia conveniantur. Unde R. Casus isti praecipui sunt seqq. 1. Sine licentia Episcopi, aut proprii Parochi non possunt Clericis, & laicis ministrare Extremam unctionem, & Viaticum, neque matrimonia solemnizare; alias praesumptores incurunt ipso facto excommunicationem, *Clem. 1. de privil.* quae censura reservatur Sedi Apostolicae; & Episcopo datur facultas eam publice denunciandi. 2. Episcopus supplet negligentiam Praelatorum in provisione beneficiorum commissam, *Clem. unic. de supplend. neglig.* 3. Regulares exempti, si sint exequutores ultimarum voluntatum, rationes

suae executionis reddere debent Episcopo, *Clem. unic. de resum. 4.* In causa haereticis, ubi non sunt Inquisitores, subfunt ejus judicio, c. 9. *fin. de heret. & Trid. sess. 5. cap. 2. 5.* Sine ipsius approbatione non possunt libros typis dare, Trident. *sess. 4. in decret. de edit. libr. 6.* Per censuras ab eo cogi possunt, ut in Ecclesiis curatis, si quas habent, Verbum divinum praedicent, *sess. 5. c. 2. de reform. ubi cap. 1.* Episcopi injungitur, ut procurent lectionem S. Scripturae in monasteriis suae dioecesis. 7. Extra monasterium degens, si delinquit, ab Ordinario loci visitari, puniri, & corrigi potest, *sess. 6. cap. 3. de reform. uti & compelli ad solutionem in causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum, sess. 7. cap. 24. de reform.* 8. Si importunas elemosinas exigant, vel tempore debito divina celebrent, Ordinarius contra eos procedere potest, *sess. 22. in decret. de observ. in celebrat. miss. 9.* Nullus regularis potest confessiones secularium audire, nisi ab Episcopo sit approbatus, *sess. 23. c. 15. de reform.* 10. Praesumentes matrimonium aliter, vel sponso benedicere absque licentia proprii Parochi, est suspensus ipso facto, donec ab Ordinario hujus Parochi absolvatur, *sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* in quo loco pena excommunicationis lata in *Clem. 1. de privil.* videtur commutata fuisse in poenam suspensionis. 11. Exempti ratione Ecclesiarum parochialium, vel aliarum secularium tenentur venire ad Synodum dioecesanam, *sess. 24. cap. 2. de reform.* 12. Contra dicente Episcopo, Regulares non debent praedicare in Ecclesiis etiam suorum Ordinum, *sess. 24. cap. 4. de reform.* 13. Nullam insolitam imaginem, vel novas Reliquias in Ecclesia ponere audent, nisi recognoscen- te, & approbante Episcopo, *sess. 25. decret. de Innov. SS. 14.* Sine licentia Dioecetani non possunt novam monasteria erigere, *sess. 25. cap. 3. de Regn. 13.* Recedentes a suis monasteriis sine mandato in scriptis obtento, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, ab Ordinariis locorum, tanquam desertores sui instituti puniendi sunt, *cap. 4. ibid. ubi subditur de studentibus; illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.* 16. Episcopi jubentur procurare claustrum sanctimonialium, ita ut septa monasterii nemini ingredi liceat sine eorum licentia, vel superioris in scriptis obtenta sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, *cap. 5. ibid. Vide Elencho VI. a. n. LXXXVII. ad XC. p. 1. pag. 477. & 478.*

XVII. Monasteria exempta non habentia ordinarios regulares visitatores, vel eos sibi in certa provincia constituant, vel visitentur ab Episcopo, *cap. 8. ibid. uti & moniales S. Sedi subiectae, c. 9. ibid.* Regulares, in his, quae pertinent ad curam animarum, subfunt Episcopo, nisi Praelatus sit personae exemptae cum clero, & populo, *cap. 11. ibid.* Regulares, mandante Episcopo, tenentur in suis Ecclesiis censuras, & interdictiones ejus publicare, & servare, uti etiam dies festos in dioecesi celebrari solitos, aut praecceptos, *cap. 12. ibid.* 20. Exempti omnes vocati tenentur ire ad processiones publicas, quorum controversias de praecedentia, remota appellatione, componit Episcopus, *cap. 13. ibid.* nisi specialiter eximantur a processionibus; sicut plerique Clerici regulares; cuiusmodi privilegium etiam Scholis Piiis dedit Urbanus VIII. Const. incip. *Delictum pastoralis officii 1629. Kal. Junii 21.* Regularis intra claustrum degens, & extra illud notorie delinquens, ut populo scandalo sit, instante Episcopo, a superiore severe puniendus est, certificato circa id Episcopo; fecus superior officio privandus, & delinquens ab Episcopo puniendus erit, c. 14. *ibid.* Vide Elencho VI. n. XCIX. p. 1. pag. 485.

XXII. Ad renuntiationem bonorum a novitio faciendam necessaria est Episcopi, vel ejus vicarii licentia, *cap. 16. ibid.* nisi consuetudo aliud habeat. 23. Praefata monasteria ante mensum certiorum faciat Episcopus de futura professione alicujus monialis; fecus, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit, *cap. 17. ibid.* 24. Cause reclamantium contra professionem deducende sunt coram Superiore, & Ordinario, *cap. 19. ibid.*

Vide addit. supra pag. 212. Haec potiora sunt ex *cit. Sess. 25. de Reg. 35. Regula.*

gulares sine licentia Episcopi non possunt promulgare novas indulgentias, Ordines, Chriſtina, consecrationes Ecclesiarum ab extraneo petere; nisi speciali privilegio sint muniti. Vide Barb. de off. & potest. Ep. alleg. 105. a num. 14. Cokier de Jurisd. Ord. in exempt. p. 2. q. 45. Fagnan. & alios.

§. IV.

De Regularibus apostatis, fugitivis, & ejectionis.

37. *Apostata* est, qui a Religione recedit animo non redeundi, sive habitum religiosum deponat, sive non. *Fugitivus* est, qui abiit ad Religionem vagandi, & rursus ad Religionem redeundi. Cujusmodi etiam est ille, qui sine licentia superiorum abiit animo, seu preteritum accedendi majores superiores, Trid. Sess. 25. c. 4. de regul. Ex communi tamen DD. excusatur a fugas, qui ex causa imminentis injus, & notabilis gravaminis inferendi, abiit ad majorem superiorem; dummodo id profectur saltem coram duobus gravibus religiosi; at ob gravamen jam de preterito illatum non licet ita abire, Constit. Sixti V. Cum de omnibus, & alia incip. Ad Romanum spectat. Ejectionis est, qui non sponte recedit, sed per sententiam condemnatus exire compellitur.

38. *Q. I. Que sint poena apostatarum & fugitivorum?* R. I. Excommunicatio lata sententia: que tamen citius non incurritur, nisi apostata, vel fugitivus habitum dimittat, c. 2. ut periculosa, Ne Clerici in 6. que Constitutio, utpote prenalis, non debet extendi ad eos, qui habitum retinent, 2. In apostata, vel fuga, nec ordinari, nec in ordinibus ita susceptis ministrare possunt cap. fin. de apost. cap. fin. d. 50. si vero hanc suspensionem violant, tunc primum sunt proprie irregulares. 3. Apostata, vel fugitivus non gaudet privilegiis sui Ordinis, Trid. Sess. 25. cap. 19. de reg. 4. Proficiscientes Romam sine licentia Generalis, aut provincialis, biennio privantur voce activa, & passiva ex decreto Clem. & Urb. VIII. incip. S. Congregatio Card. 5. Noctu de claustris furive exiens, graviter quidem peccat, & ex decr. Clem. casum reservatum (si eum superiores sibi referantur) incurrit; non tamen excommunicationem, nisi dimisso habitu vagetur; que vagatio est species fuga; adeoque sublati excommunicationi cap. 2. ne clerici in 6. Cetera poena desumpta sunt ex statutis cujusque Ordinis; & convenienter infligitur carcer, ut libertas, que illicite ampliata fuit, licite in carcere restringatur. Apostata nullo modo liberantur ab observantia sui instituti, ne delictum eis suffragetur; neque absolvi a confessorio possunt, donec habeant serium animum redeundi.

39. *Q. II. Quid juris circa ejectionem incorrigibilium?* R. I. De jure com. ille censetur incorrigibilis, qui in gravi delicto, sive ejusdem, sive diversae speciei ter monitus, & correctus se non emendat, cap. 10. de judic. cap. fin. de stat. monach. Insuper de jure novo ad incorrigibilitatem requirebatur, ut religiosus unius anni spatium in jejuniis, & penitentia probaretur in carceribus ex decreto Urban. VIII. incip. Sac. Congregatio Card. 1624. die 21. Septembr. que probatio redunda est ad carcerem semestrem per Const. Inn. XII. incip. Insanabilibus 24. Julii 1694. ubi etiam precipitur, ut pro causis incorrigibilium eligantur sex patres in capitulo provinciali; & in quavis provincia sex in capitulo provinciali; de quorum consilio, & assensu tandem ejectioni fieri possit; accedente approbatione Generalis. 2. Ejectionis non sit plene sui juris, sed in conscientia teneatur se emendare, & ad Religionem redire. Ideoque teneatur ad observantiam votorum, & aliarum sui instituti regularum, que compatiuntur cum presenti ejus statu. Ita hodie com. sent. nam cap. fin. hoc tit. innovatum est per cit. Decretum Urbani VIII. ergo sicut Praelati regulares teneantur fugitivos, & ejectionis etiam iuste, & juris ordine servato, annuatim seu dum se occasio offert, requirere; ita etiam isti teneantur ad Religionem redire. Plura de his scripti in mea epistola iudicii summarii criminali.

Iuste ejectionis non habet actionem petendi a Religione alimentaria, ut probat Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. dioc. cap. 11. num. 25. licet sit Societatis Jesu, & promissus fuerit post emissis vota simplicia ad

Sacros etiam Presbyteratus ordines, ex Constit. Bened. XIII. Injuncti 14. Jun. 1728. qui tamen non redduntur inhabiles, ut ejectionis post admissionem ad vota solemnia, ad Ecclesiastica munia obeunda, & beneficia assequenda ex decreto Congr. Conc. 11. Febr. 1662. relato a Bened. XIV. loc. cit. n. 21.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

Agitur de hac materia 27. *quest. 1. & 2. praefertim a Can. 19. & 33. quest. 5. Nov. 123. cap. 40. que tamen in eo, quod docet matrimonium consummatum per Religionem dissolvi, correctae est a jure Can. cit. cap. 19.*

1. *Nota* per conversionem conjugatorum hic intelligi transitum eorum ad Religionem post matrimonium, ratum, vel consummatum.

2. *Q. I. Quibus sponsis de praesenti concedatur bimestre ad deliberandum de ingressu Religionis?* R. Illis solum, qui cogitant, seu assensum, vel se ingredi Religionem, cap. 7. ex publico. hoc tit. quod si tempus istud a iudice praefertur, ex quacunque causa protraheretur, adhuc durante matrimonio rato, liberum erit ad Religionem convolare; cum parvo ille a Christi concessus sit omnibus, qui necdum matrimonium consummarunt; 2. matrimonium ratum non citius, nisi facta solemniter professione, dissolvitur quoad vinculum, & tunc potius alteri parti in saeculo remanenti liberum est ad alia vota transire, cap. 2. 14. h. t. Trid. Sess. 24. Can. 6.

3. *Q. II. An, & quomodo post matrimonium consummatum liceat Religionem ingredi?* R. I. Si mulier intra bimestre de Religione cogitans, per vim, aut gravem metum cognita fuit, probabiliter potest, altero invito, Religionem ingredi: ita Abb. Felin. Fagn. Reiff. & alii contra Host. Sylv. Cov. Engl. &c. nam jure suo per delictum alterius spoliari non potuit per cap. 6. de eo qui cognov. Quia vero ex tali ingressu plerumque magna incommoda sequerentur, ut desertio prolis educandae, & desolatio mariti, qui sine spe alterius conjugii manere deberet in saeculo, cum per professionem uxoris tale matrimonium, utpote consummatum, non dissolveretur; ideo praesertim abstinere ab ingressu Religionis. Nec obstat cap. 13. hoc tit. & Can. 13. si quis 15. *quest. 1. & similia jura*: nam procedunt in casu, quo matrimonium sine vi, & injuria alteri illata consummatum fuit.

4. *R. 2. Jure consummato matrimonio, extra casum divortii perpetui, non licet Religionem ingredi, absolute spontaneo consensu alterius partis, c. 17. hoc tit. nam jure suo nemo invitus est spoliandus: secus conjugii relicti alterum ex Religione revocare potest, si que teneatur redire: nam talis professio est invalida, licet ex speciali interpretatione juris valeat in vim voti simplicis continentiae c. 3. 12. hoc tit. nisi forsitan protestatus fuisset, nolle se obligari voto continentiae alter, quod dependenter a valore professionis: unde revocatus debuit reddere debet; non tamen exigere, vel mortua uxore aliam ducere poterit cit. c. 3. h. t.*

5. *R. 3. Si uterque conjux, mutua licentia non obtenta, professus est Religionem, si quidem alter de alterius professione scivit, valet utriusque professio, quia ipso facto alter alteri scienter dedit licentiam: at si alter de alterius professione nihil sciret, probabilis est, neutrius valere professionem, utpote sine licentia factam; ac proinde uterque exire possit, vel alter alterum ex Religione revocare; neuter tamen petere, aut reddere possit debitum; quia uterque ligatus esset voto simplicis continentiae cit. cap. 3. h. t. Similiter si uterque emisisset in saeculo votum continentiae, alter sine licentia Religionem professus, revocari possit, non quidem ad usum conjugii, sed ad obsequia conjugalia.*

6. *R. 4. Praeter licentiam requiritur, ut pars altera, vel Religionem ingrediatur, vel si non est suspecta de incontinentia, saltem votum continentiae emitat, c. 8. hoc tit. hoc tamen non emisso, professio mariti cum sola licentia uxoris esset valida, ita com. nam talis professio nullibi irritatur; ac proinde locus est Regulae: Multa fieri prohibentur, qua si facta fuerint, obliant reboris firmitatem, cap. 16. de Regular. imo talis*

talis professio cum sola licentia uxoris supponitur valida cap. 9. ex parte hoc tit. ubi maritus, qui consentiente uxore, monachalem habitum suscepit, illa mortua, jubetur redire ad monasterium, & secundum uxorem putatam relinquere. Nec obstat cap. 8. h. t. ibi: nullatenus recipiatur; nam particula nullatenus ex subjecta materia non significat nullitatem, nisi quatenus conjungitur prioribus verbis: sine licentia uxoris nullatenus recipiatur. Porro tali casu, si pars remanens in saeculo, sive sit vir, sive mulier, non scivit obligationem juris, quod teneatur, vel Religionem ingredi, vel si abest suspicio incontinentiae, votum castitatis emittere; revocare potest conjugem professam ex Religione; & istenebitur debitum reddere, ac post mortem conjugis ad Religionem redire, cap. 9. h. t. At si scivit illam obligationem, non permittitur revocatio professi, sed remanens in saeculo compelli debet ad ingressum, vel ad votum continentiae. Quia vero hoc durum est, Praelatus non admittit conjugatum ad professionem, donec ad formam cap. 8. hoc tit. uxor, vel continentiam vocet, vel Religionem amplectatur. Vide Sancti lib. 2. de matrim. disp. 18. & lib. 7. disp. 32. ubi similes casus proponit, quos prudentia Praelatorum non finit in praxim devenire.

Hae species solidae animadversum ex variis facti speciebus Mauri discussit in Congr. Conc. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. dioc. cap. 22. nu. 16. ibi Sacri Canonis adiungit quidem virum aetate florentem ad professionem in monasterio nuncupandam, vel quatenus in proventa iam aetate constitutus sit, ad emittendum in saeculo simplex castitatis votum, dum uxor religiosam institutam amplectitur; & non tunc, cum jura matrimonii sunt lesa: si enim hujusmodi iura ab uxore per adulterium lesa fuerint, quod tunc juniori viro in saeculo manenti imponitur onus emittendi simplex castitatis votum (juxta statutum a Congr. particulari habitae coram Innocentio X. ut cit. loco referretur num. 15.) praescriptum dici debet ad quandam veluti tutorem cautionem: cui quidem stricte jure locus non est, quoties ante acta viri vita nullam futuram incontinentiae suspicionem ingerit. Nota tamen, quod hoc votum in hypohesi emittendum esset a viro innocentissimae, donec uxor Religionem professam videret, ut respicitur Congr. Concil. in Januen. 2. Maji 1722. Thes. Resolut. ejusd. Congr. tom. 2. pag. 164.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

Agitur de hac materia 28. *quest. 1. & hic incidenter occasione praecedentis tituli; quia conjugati infideles, seu non baptizati, solent converti ad fidem christianam.*

1. *Q. Quid statuatur in hoc titulo?* R. 1. Applicatur Can. 40. & 51. Conc. Tridentinis de impedimento dirimente criminis, in casu, quo vir infidelis occidit maritum uxoris fidelis, & cooperante, & in mortem mariti machinante; & tunc infidelis, esto convertatur ad fidem, non potest uxorem occisi ducere; secus si nulla machinatio ex parte fidelis intercessit, cap. 1. hoc tit.

2. *II. Si ex conjugibus unus solum convertatur ad fidem, proles doli incapax dande sunt converso ad fidem, sive sit vir, sive mulier; isque ubi favore Religionis, cui cedere debent jura patrie potestatis, & alia civilia cap. fin. hoc tit. quia summa est ratio, quae pro Religione facit l. 43. ff. de Religios. An vero, & quomodo matrimonium convertorum ad fidem dissolvatur, dicitur lib. 4. tit. 19.*

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

Agitur de hac materia in Sexto, & Extravagant. Joann. XXII. hoc tit. in Decreto disp. 27. 28. 30. 31. 32. & 27. q. 1. & 32. q. 1. Can. 3.

1. *Nota* 1. Occasione status religiosi hic agi de votis in genere, & de liberatione ab eorum obligatione, quae liberatio hic late vocatur *voti Redemptio*: stricte

autem votum dicitur redimi, dum personalis obligatio voti transferatur in opus reale; ut si loco peregrinationis detur elemosyna. De votis videri possunt obvia Moralista: ego in praesenti resolvam qq. praecipuas ad forum Canon. pertinentes.

2. *Nota* 2. Votum definitur, quod sit *promissio deliberata Deo facta de meliori bono*: nam votum est actus Religionis, seu laetiae; ergo soli Deo, & non alicui Sancto fieri debet; & quidem de meliori bono, alias Deo, utpote sanctissimo, non placeret, si obligaret te ad faciendum minus bonum, cujus oppositum est majus bonum; unde materia voti debet esse non tantum *possibilis, & bona*, sed etiam *magis bona*, quam ejus oppositum. Consule P. Laym. qui conditiones istas docte explicat, & fusc Salmant. Mor. tr. 17.

3. *Nota* 3. Votum varie dividit: 1. In *commune*, vel *necessarium* ex parte materiae, cujus materia est praecipua; ut si vocas non furari; & *singulare* cujus materia est consilii, ut continentia. 2. In *reale*, quo res externa promittitur, ut pecunia pro aliter: *personalis*, quo propria hominis actio, vel ejus omisio promittitur, ut orare, abstinere a carnibus; & *mixtum*, quo parim actio, parim res promittitur; ut peregrinari ad limina Apostolorum, & ibi donum aliquod offerre. 3. In *absolutum*, quod a nulla conditione dependet, sed praecise ob honorem Dei dicitur; ut ingredi Religionem: *conditionatum*, quod pendet a conditione, & plerumque imperfectum est ex parte votentis; ut ingredi Religionem, si sanus ex morbo evaseris; & *penale*, quo promittitur poena solvenda a Deo; & in votum in gratiam hominis factum, v. g. jejuna-bo, vel 10. pro elemosyna dabo, si adhuc semel lusero &c. quodsi poena concipiatur ob actum praeteritum, perfecta erit obligatio voti, v. g. quia fornicator sui, voce ingressum Religionis. 4. In *externum*, & *internum*, in publicum, & occultum, in expressum, & tacitum, quorum notitia ex voce patet. 5. In votum soli Deo, seu in gratiam solius divini honoris factum; & hoc statim acceptatur a Deo; & in votum in gratiam hominis factum, v. g. voveo, quod tibi pauperi decem dare velim; & tale votum non obligat, donec ab homine promissario acceptetur.

6. Votum celebri divisione dividitur in *solemne, & simplex*, in quorum explicatione Doctores controversant. *Solemne* est, quod votentem perpetuo obligat, & inhabilitat ad quoscunque actus voto repugnantes, sive id oriatur ex jure divino, sive ex jure Ecclesiastico; & talia vota sunt tantum duo: professio religiosa tribus solius votis constans; & votum continentiae de jure Ecclesiastico annexum facti Ordinis, cap. unic. hoc tit. in 6. *Simplex* est, quod obligat quidem votentem, & actus voto contractos reddit illicitos; non tamen invalidos, nisi per accidens, sicut in Societate Jesu vota simplicia pro eo statu, quo quis in Societate vivit, ex speciali dispositione irritant matrimonium contrahendum. Talia vota simplicia sunt cetera omnia, praeter duo supra dicta.

4. *Q. I. Quis possit votum emittere?* R. Regulariter omnis homo viator usu rationis pollens, dummodo votum implere sit in potestate votentis, & nulli praedictiofum. Unde r. Pupilli, & minores non possunt vovere vota realia; nisi forsitan in tempus, quo liberam rerum suarum administrationem habebunt: vota autem personalia nulli praedictiofum emittere possunt.

2. Conjuges, Religiosi, servi, filii, in praedictiofum alterius conjugis, monasterii, domini, & patris, nam talia vota, quatenus aliis praedictiofum, Deus non acceptat; nisi conditionate, si consentiant ii, quorum interest, v. g. si Superior consentiat in peregrinationem monachi &c. si Papa consentiat, ut Episcopus fiat religiosus, cap. 18. de Regular. quo casu ita voventes obligantur ad petendam licentiam, implendi voti gratia. Parochi vero, & Clerici alii, cum vinculo Ecclesiasticis suis adstricti non sint, absolute emittere possunt votum amplectendae Religionis; licet de honestate consensum Episcopi requirant: nam a cap. 4. de renunt. excipitur ingressus Relig. generaliter a jure permissus: at quoad alia vota, quae cura pastoralis, aut residentiae praedictiofum, ut vota peregrinationis, Parochi opus habent licentia Episcopi.

5. *Q. II. Qualis sit obligatio ex voto orta?* R. Ex genere suo gravis sub mortali peccato adstringens vov-